This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

878
C7Fe0
R4

A 469453

Digitized by Google



Digitized by Google

878
C7Fe
K4

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.
AUG 23 1907

STUDIA TULLIANA
AD ORATOREM PERTINENTIA.

DISPUTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PETRUS REIS,

MOGUNTINUS.

ARGENTORATI

APVD CAROLVM I. TRVEBNER

MCMVI.

Digitized by Google

Von der philosophischen Fakultät genehmigt
am 15. Juli 1905.

Teildruck mit Genehmigung der Fakultät.
Die ganze Arbeit erscheint in
'Dissertationes Argentoratenses selectae' vol. XII
(Argentorati, Karl J. Trübner).

Digitized by Google

RICARDO REITZENSTEIN

BRUNONI KEIL

PRAECEPTORIBUS CLARISSIMIS

S.

166936

Digitized by Google

Digitized by Google

M. Tullii Ciceronis Oratorem plurimis librariorum mendis atque gravissimis interpolationibus inquinatum eamque ob rem ad emendandum difficillimum esse nemo ignorat, qui in eo elaboraverit. Itaque quamquam iam plurimi homines docti, quorum e numero Bakium, Madvigium, Sauppium, Heerdegenium, Stanglium, Fridericum, Sandysium, Stroebelium[1]) honoris causa nomino, ei emendando studuerunt et iam multos locos satis certa fide correxerunt, tamen permultis aliis vera Ciceronis manus nondum esse cognita videtur, id quod summa proximarum editionum inter se varietate demonstratur. Quae cum ita sint, ineptum ne iudicaveris, quod equidem denuo de nonnullis eorum locorum quaedam proferre conor ea ratione, ut in primo capite de libris manu scriptis agam eoque capite confecto afferam, quae de singulis quae variae exstant lectionibus exposita adhuc atque oblata sint, porro quae et quibus de causis egomet ipse vera iudicem. Haec perficienti fortasse continget mihi, ut etiam de codicibus aut quae iam explanata sunt novis argumentis confirmem aut nova quaedam addam. Fundamento autem, ut ita dicam, huius dissertationis editione Teubneriana anno 1884 ab Heerdegenio, acutissimo ac diligentissimo illo Oratoris editore, curata usus omnia, quae haud nova afferam neque auctorem laudabo, ex illa editione deprompsi.

---

[1]) Serius quam ut diligenter perscrutari possem, apparuit A. S. Wilkinsii editio Oxoniensis.

Digitized by Google

Caput I.

DE CODICIBUS.

Duo sunt omnino genera librorum manu scriptorum, qui huic aetati servaverunt Oratorem Tullianum: alterum vetustiorum et mutilorum, quorum optimum et veterrimum codicem Abrincensem simul ceterorum archetypum esse Heerdegenius docuit, alterum integrorum et recentiorum, quorum fons atque origo codex quidam Laudensis fuisse dicitur.

§ 1. De codice Abrincensi 238 = A.

Codex Abrincensis 238 = A, membranaceus, continet sexaginta foliis De oratore libros (fol. 1—50 r) et Oratorem (fol. 51 r—60), utrumque Ciceronis opusculum mutilatum. Desiderantur enim, ut De oratore libros praetermittam, Oratoris ea, quae nunc ab initio eius libelli leguntur usque ad § 91: — *toque robustius*, quam lacunam indicavit (fol. 50 v, i. e. in vacua antecedente pagina) librarius quidam saeculi tertii decimi ineuntis[1]) hisce verbis: *hic deest quaternus*, et omnia, quae sunt inter verba *trochaeum quo enim* (§ 191) et — *per versetur genere* (§ 231), eaque ipsa verba nullo spatio intermisso continuantur (fol. 60 r)[2]). Exaratum autem esse codicem Abrincensem a duabus manibus, quarum altera paulo vetustior saeculo nono partem De oratore librorum conscripserit, altera paulo recentior eos suppleverit et Oratorem adiunxerit, in prolegomenis editionis Teubnerianae exponit Heerdegenius, qui illum codicem ab Eduardo Le Héricher primum iterumque a Schneidewinio

[1]) Heerdegen, ed. prol. pag. VI; Stangl, Bl. f. b. G. 21, 26; Heerdegen, Bl. f. b. G. 22, 100.

[2]) Conferas codicis A imitationem, quae invenitur in editione Cantabrigensi a. 1885 a Sandysio curata.

Digitized by Google

et E. de Leutsch collatum diligentissime denuo excussit. Idem homo doctissimus ac de Oratore emendando optime meritus initium eius libelli non in superiore aliquo exemplari, unde A manaverit, sed in hoc ipso — abrepto scilicet toto primo eius quaternione — intercidisse argutissime demonstrat [1]). Quam opinionem a Stanglio in annalium, qui 'Blaetter für das bayerische Gymnasialschulwesen' vocantur, vol. 21 pag. 25 pravis de causis reiectam Heerdegenius in eorundem annalium vol. 22, 100 sqq. defendit acclamantibus Sabbadinio [2]) ac Sandysio [3]), qui ipse quoque A inspexit, utpote *not inconsistent with the present appearance of the binding of the manuscript.* At alteram lacunam iam in fonte illius Abrincensis exstitisse inter omnes constat. Quo modo fortasse ibi sit orta, haud male suspicatur Sandysius [4]), cum tertii quaternionis binionem medium excidisse opinetur.

Restat, ut de codicis A correctoribus pauca disseram. Plures enim fuisse suspicor, quia correcturas partim ex ipsius Abrincensis fonte, partim ex alio exemplari sumptas esse, partim viri haud indocti arbitrio deberi persuasum habeo, quoniam aliae sine dubio verae, aliae pessimae videntur. Ad quod demonstrandum nonnullas cogitatione et animo contemplemur.

Ac primum ex Abrincensis ipsius fonte promptae hae se praebent: § 154 (52, 6) A librarius, quod invenerat, *quit* optime correxerat in *quid*; A corrector illud restituit. — § 155 (53, 3) librarius verum scripserat *chryse*; corrector expunxit litteram *e*, quam non invenit in fonte. — § 156 (53, 12) A^1 omiserat particulam et vocabulum *que duorum*, quae in archetypo minus clare scripta legere non potuerat; in margine addidit A^2 inepta illa *quoq. rum.* — § 160 (57, 5) litteras, quae nullo spatio intermisso in Abrincensis fonte exstiterant [5]), *tamin* unum esse vocabulum idque *tamen* significare putaverat A^1; corrector

[1]) Ed. prol. pag. VI. sq. [2]) Riv. di fil. (1888) XVI, 99.
[3]) Ed. Cantabr. prol. pag. LXXVIII. [4]) Ibidem.
[5]) Codicem enim illum sic scriptum fuisse, ut singula verba spatiis non distinguerentur, patet ex sescentis et in De oratore libris et in Oratore verbis falso contractis vel distinctis, ut e. g. Or. 30, 18; 32, 21; 33, 1; 33, 8; 37, 25; 37, 26; 40, 12; 40, 27; 42, 6; 42, 12; 42, 28; 43, 5; 45, 16; 48, 12; 53, 21; 55, 5; 56, 2; 56, 8 etc.

Digitized by Google

autem *i* litteram, quam illic cognovit, hic superscripsit. — § 165 (59, 5) neque alio libro nisus neque e suo arbitrio A² delevit *et*, cum ne ea quidem, quae remanent, *haec enim et alias* ullum sensum praebeant. Expunxit igitur coniunctionem, quam scriba prior errore iteraverat.

De plerisque autem correcturis nihil certi dici potest. Sic dubius haereo de duabus hisce, utrum ex eodem an ex alio libro promptae sint: § 103 (33, 22) corruptum in margine addidit A² *opes*[1]); § 189 (68, 6) bene emendavit *o*^{audi}*ra*ṭ*or*.

At sine ullo dubio vera lectio alii libro debetur: § 118 (39, 2), ubi signo illo *t* addito superscripta est infinitivi passivi terminatio *explica*$^{t\ ri}$*te*, et § 174 (62, 8), cum in margine addita sint vocabula *vel nesciunt*.

De subscriptione me dubitare fateor, utrum illa *oratoris explicit liber IIII tus* aliunde sumpta sint an e correctoris arbitrio omniumque qui tum erant doctorum hominum ex opinione[2]) manaverint. Sed hasce correcturas deberi viri docti, sive sciolum dicere mavis, ingenio mihi persuasi: § 101 (33, 3) *dū tu*, quae in margine addidit ob sequens verbum *fueris*[3]). — § 106 (34, 23) librarius falso scripserat *oramus* pro eo quod est *eramus*, deinde corrector ob sequens imperfectum *dicebamus* superscripsit *ba*, ut inveniatur: *ora*^{ba}*mus*. — § 110 (36, 8) *quod eum credo amares* suspecta habuit corrector et illis verbis accusativum, qui dicitur, cum infinitivo inesse putavit, ut legi posset *quod eum* (scil. *abs te*) *credo amari*, quam ob rem *i* litteram superscripsit: *amar*^{i}*es*. — § 157 (53, 21) falso distinxerat librarius verba scribens *nos seiudicasse*, quae alius quidam homo correxit. — § 166 (59, 15) pronominibus, quae erant in A, *haec quod* mendum inesse cognovit corrector, sed iniuria alterius pronominis loco primum commutavit.

§ 2. De ceteris codicibus mutilis.

Mutilorum quoque, qui vocantur, librorum manu scriptorum duo agnoscuntur genera: alterum id, in quo aut nihil aut certe

[1]) Cf. huius diss. pag. 90. [2]) Stangl, Bl. f. b. G. 21, 27.
[3]) Bl. f. b. G. 23, 96 et huius diss. pag. 11 et 89.

Digitized by Google

pauca et ea plerumque levia ex codicis A scriptura mutata sint, alterum id, in quo permulta eaque sane gravia inveniantur vel addita vel correcta. Sed quamquam ita res se habet, tamen omnes codices mutilos vel ex Abrincensi ipso vel ex aliquo eius apographo derivatos esse Heerdegenius, acerrimi ingenii vir, in prol. pag. X—XIII ostendit. Quorum alterum genus a Gasparino Barzizio correctum ei videtur atque etiam interpolatum, ut ea omnia, quae illic inveniantur vel correcta vel interpolata, prae ipsius Abrincensis auctoritate profecto nulla sint fide. Verum in ea quoque re ab Heerdegenio dissentit Stanglius. Quae ei opponit ad litteram liceat exscribere ex Bl. f. b. G. 21, 26: 'Unentwirrbar gar und bloß mit einem gordischen Schwertstreiche zu zerhauen ist der historische Knoten, den Heerdegens Hypothese involviert: darnach wären die 36 jüngeren mutili, die, zwischen rund 1300 und 1422 gefertigt, ihm alle aus A stammen, alle aus A selbst in der Zeit gefertigt, in der A jenen ersten Quaternio des Orator schon verloren hätte, in den 3—4 vorhergehenden Jahrhunderten aber, da A noch Orator § 1—91 enthalten hätte, wäre nichts für Vervielfältigung der nach ihm einzig vorhandenen Handschrift des bloß um 40 Paragraphen (191—231) verkürzten Oratortextes geschehen! Oder es wären die 36 Abschriften alle wiederum nur aus Abschriften des A geflossen, die ihrerseits alle in der Zeit gefertigt wären, da in A jener Quaternio schon ausgefallen wäre, keine einzige aus einer vollständigen Abschrift des vollständigeren A!' At difficultas non tanta esse mihi videtur, quantam iudicat Stanglius. Quis enim usque ad annum millesimum trecentesimum codicem Abrincensem integrum fuisse confirmat? Aut cur iam prius idque haud ita multo postquam scriptus erat nescio quo casu inde excidisse sive scelere aliquo inde evulsum esse illum quaternionem neges et eo perdito — fortasse iam saeculo decimo — ex Abrincensi manavisse aliquos libros, qui, quamquam ipsi mox perierint, tamen fontes facti sint eorum librorum, quos adhuc habemus? Itaque cum cetera, quae Stanglius loco laudato de hac quaestione disserit, optime refellerit Heerdegenius[1])

[1]) Bl. f. b. G. 22, 102.

Digitized by Google

conclamante Sabbadinio[1]), equidem pro certo habeo ea, quae Heerdegenio opponuntur, iniuria opponi, ut quae ipse docuit si minus certa, at tamen veri similia videantur.

Codicum mutilorum toto e numero — Heerdegenius quidem triginta septem enumerat, in quibus omnibus uno excepto Orator adiunctus est De oratore libris — quinque hic laudare velim, quia contentionem quandam excitaverunt inter viros doctos. Sunt autem emendati atque interpolati generis hi tres:

I. Parisinus 7750, membranaceus, anno 1417 exaratus, a Carolo Stephano in editionis Tullianorum operum tom. I., qui prodiit anno 1554, collatus, itaque 'Vetus Stephani' vocatus (Heerd. nº 29).

II. Gudianus 2 (Eberti 201), membranaceus, saec. XIV. exaratus, a Kleinio in appendice editionis Goellerianae collatus (Heerd. nº 31).

III. Erlangensis 303 (olim 39), membranaceus, saec. XV. exaratus, mutilatus a principio et incipiens a § 100: *subtiliter et alta graviter* (excidit enim unum folium[2])); primum collatus a Carolo Beiero in appendice editionis Orellianae a. 1830 curatae et maiore cum diligentia a Christiano Hoernero in commentatione gymnasii Bipontini a. 1878 (Heerd. nº 32).

Accedant alterius generis hi duo:

IV. Laurentianus S. Marci 262, membranaceus, saec. XV. exaratus (Lag. nº 13), a Stanglio littera l signatus (Heerd. nº 18).

V. Florentinus Magliabecchianus VI, 185, membranaceus, anno 1418 exaratus, a Stanglio littera m signatus (Heerd. nº 19)[3]).

Quem utrumque inspexit Detlefsenius et descripsit in commentatione 'Über die mittelalterlichen Bibliotheken Norditaliens', quae est in actis philologorum conventus Kiliensis a. 1869 pag. 106. Quodsi codices m et l ponderis magni esse

---

[1]) Riv. di fil. (1888) XVI, 100.

[2]) Hoerneri progr. Bipont. pag. 5.

[3]) Wilkinsius quoque duorum codicum illorum scripturas litteris m et l signatas quater adnotavit, quamquam inter 'sigla' praemiserat se littera m codices mutilos recentiores signaturum esse (cf. §§ 103, 119, 123, 124).

Digitized by Google

et dignos, quorum in apparatu, qui dicitur, critico fiat mentio, contendit Stanglius[1]), suo iure contradicunt Rubner[2]), Heerdegenius[3]), Sabbadinius[4]), Gerckius[5]).

Postremo id, quod Heerdegenius de mutilorum origine verisimile reddidit, variis eorum lectionibus perscrutandis videtur affirmari. Multos enim locos ceteri codices mutili habent prorsus eodem modo corruptos atque Abrincensis, cuius librario aut correctori eas corruptelas attribuendas esse puto. Pauca igitur eius rei testimonia afferre liceat ex Erlangensi 303 et e Gudiano 2[6]). Sic § 101 (33, 8) in codicis A fonte, quem littera x signemus, pro *ne fuerit* erat verbi altera persona *ne fueris.* Corrector quae ex exemplari non potuit emendare, ut ad intellegendum aperta essent, addendis *dum tu* ex ipsius arbitrio mutavit. Quod colon *nedum tu fueris* integrum servavit Erl., in *nedum cum fueris* corrupit Gud. — § 101 (33, 9): codicem x sic scriptum fuisse, ut singula verba spatiis non distinguerentur, supra (7, 5) ostendi. Qua legendi difficultate factum est, ut A librarius quae fortasse ita scripta invenit *cuiusquisitcōpossiteloquens* tali modo corrumperet: *cuiusque sit cōpositeloquens.* Quodsi Erl. et Gud. his, ut intellegerentur, nova menda intulerunt, cum scriberent *cuiuscumque sit compositum eloquens*, nonne ambos illos libros ex exemplari manasse verisimile fit, quod ipsum ex A fluxerat? — § 105 (34, 18) in A, ut modestus videretur scriptor, *minus* interpolatum est[7]). Sed quia dicere non poterat *nos minus magnum fecissemus*, *si quidem potuissemus quo contendimus pervenire*, Erl.[8]) ante *minus* addidit *non*, Gud. modeste fatentem fecit Tullium: *nos minus magnum*

[1]) Bl. f. b. G. 21, 32—34.

[2]) W. f. kl. Ph. (1885) II, 1007.

[3]) Bl. f. b. G. 22, 103.

[4]) Riv. di fil. XVI, 100.

[5]) Deutsche Literatur-Zeitung IX, 160.

[6]) Cod. Erl. lectiones ex Hoerneri collatione, Gud. ex appendice ed. Goellerianae excerpsi.

[7]) Cf. huius diss. pag. 92.

[8]) Idem librarius in eandem paragraphum ineptias satis mirandas intulit suo ex arbitrio scribens: *quoniam et hunc tu oratorem cum ei studiosissime palmam, cum esses Athenis, attribueres, totum diligentissime cognovisti.*

Digitized by Google

fecimus. — § 106 (34, 22) illa quae vera sunt in L[1]): *easque nos primi, quicumque eramus et quantulumcumque dicebamus*, quoniam cod. x difficilis erat ad legendum, corrupit A in *itaq. nri quicumque oramus*, cui ultimo verbo corrector superscripsit *ba*[2]). Atque hae ineptiae inveniuntur et in Gud. *itaque nri quicumque orbamus* et in Erl. *itaque nos qualitercumque orabamus.* — § 128 (42, 12) A pro veris *comeiucundum* scripsit *cū ei dicundum.* Plane eadem habet Gud., quae Erl. male commutavit in *cum ei dicendum.* — § 137 (45, 16) litteras *accipiet* uni vocabulo attribuit A. Futurum autem illud propter antecedentem coniunctionem *ut* ceterosque coniunctivos, qui vocantur, modos *dicat* et *velit* in praesentis coniunctivum mutaverunt Erl. et Gud. — § 155 (53, 3) *Aesculapi* vel *escolapi* nomen haud cognovit A. Quam ob rem *excola* scripsit sequente spatio trium litterarum. Idem mendum legis in Gud. *excola*, in Erl. denuo depravatum *ex scola.* Talem errorem num putas et in A et in eius, quem Stanglius vult, gemello B[3]) factum esse? Nam nondum eum fuisse in x eo demonstratur, quod A trium litterarum spatium reliquit. — § 156 (53, 12) A librarius omiserat *que duorum*, quae in x legere non potuerat. Ea corrupit corrector in margine addens *quoq. rum.* Ultimas tres litteras neglexerunt Erl. et Gud., errorem tamen receperunt, cum habeat Erl. *plane quoque*, Gud. *planeque q.* — § 158 (55, 2) *acneiisquidem* litteras in vocabula non potuit distribuere A, qui *aeneis quidem* scripsit, ut aeneae dicerentur tabulae. Eundem errorem, quem bis accidere potuisse vix mihi persuadeo, in Erl. et in Gud. invenies. — § 158 ad fin. (56, 2) illorum *subegit, summutavit, sustulit* loco in A sunt *subegit, tum mutavit, sustulit*, quae integra in Gud. quoque exstant, cum Erl. correxerit, ut sententia evaderet, scribens *cum mutatur ut sustulit.* — § 168 (60, 5) pro veris *curtasentiūtnecamant* scripsit A *cur* (sequente spatio decem fere litterarum) *ut nec amant*; corrector in margine

[1]) Littera L signatur consensus codicum FPO, de quibus conferatur § 3.

[2]) Cf. huius diss. pag. 8.

[3]) Stangl in Bl. f. b. G. 21, 32 et in editionis Schenklianae prooemio, qua de re Heerdegen in Bl. f. b. G. 22, 103 not. 1.

Digitized by Google

addidit *curta seni.* In x igitur nondum corruptus erat locus, corruptus est in A. Cuius si ineptias et in Gud. *cur ut nec amant* et in Erl. *curunt nec amant* invenies, num duos illos libros manu scriptos ex fonte manasse negabis, qui ex A fluxerit? — § 186 (67, 3) Codicis A errorem pro *sumebantur* scribentis *summadantur* etiam in Erl. et in Gud. deprehendes.

§ 3. De codice Laudensi.

Qui integrum continent Oratorem, libri manu scripti omnes e codice quodam Laudensi = L, anno 1422 a Gerardo Landriano episcopo Laude Pompeia invento, brevi autem post denuo perdito fluxerunt. Continebat Laudensis Tullianae Rhetoricae libros duos (de inventione), Ad Herennium libros quattuor de arte rhetorica, qui Cornificii esse putabantur, porro Ciceronis De oratore tres libros, Brutum, Oratorem[1]). Quae igitur ibi exstiterunt, nunc collatis inter se nonnullis eius apographis restituenda nobis sunt. Ipsum autem codicem illum Laudensem et parum emendatum et lacunis abundantem et glossematis, interpolationibus, aliis mendis inquinatum et ita exaratum fuisse, ut singula verba spatiis non distinguerentur e multis apparet locis. Ad singulas Laudensis lectiones[2]) recognoscendas hi adhibendi sunt libri:

I. Florentinus Magliabecchianus I 1, 14 = F (Sabbadinii Niccolianus)[3]), chartaceus, anno 1422 aut 1423 litteris cursivis, quae dicuntur, diligentius quam nitidius exaratus, foliorum 74, solos Oratorem et Brutum continens, a Lagomarsino olim numero (nunc eraso) 8 signatus. Capitum dispositione vacat, propriam Oratoris ex archetypo et inscriptionem et subscriptionem solus servat. F

II. Vaticanus Palatinus 1469 = P (Sabbadinii Cosmianus)[4]), membranaceus, eodem fere tempore quo F nitide P

[1]) Ital. illustr. Basil. 1531 p. 346 sq.

[2]) De rebus orthographicis conferatur Heerdegenii, quam in prol. pag. XVIII. dedit, narratio.

[3]) Heerd. edit. prol. pag. XIV. sq., Stangl, Bl. f. b. G. 21, 39, Sabbadini, Riv. di fil. XVI, 107 et 119 sq., Heerdegen, Fleckeiseni annal. 131, 112.

[4]) Heerdegen, ed. prol. pag. XV. sq. et Fleckeis. annal. 131, 111 sq., Stangl, Bl. f. b. G. 21, 40 sqq. et DLZ. 1884, 1823 sq., Sabbadini, Riv. di fil. XVI, 107 et 113 sq., Friedrich, Fleckeis. annal. 135, 75 sqq.

Digitized by Google

exaratus, foliorum 192, continens De oratore libros et Oratorem in capita digestum, legitima carens inscriptione, subscriptione sua quadam auctus eaque communi quattuor quos tenet libris oratoriis [1]).

O III. Ottobonianus 2057 = O (Sabbadinii Bossianus) [2]), membranaceus, anno 1422 nitidius quam accuratius descriptus, continet foliis 126 libros De oratore, Oratorem, Brutum, libellum De optimo genere oratorum, quem tamen libellum alius librarius adiunxit. Caret codex et ipse inscriptione, sed auctus est subscriptionibus duabus, quarum altera pusillis litteris a librario ipso in infimo paginae margine adscripta sic legitur: *MCCCCXXII die pltio nouembr in sero | finit Am.*, altera correctoris post ipsa extrema Bruti verba incipit [3]).

M IV. Mutinensis VI D 6 = M [4]), membranaceus, anno 1425 exaratus, foliorum 62, Ciceronis Brutum, Elogia Marii et Fabii, Oratorem Tullianum continens, capitum dispositione vacans, inscriptionibus et subscriptione ornatus [5]).

Praeter quattuor hos codices, qui Oratorem tradunt, ne quid de Laudensi omissum videatur, enumerare liceat etiam ea illius apographa, quae Oratore carent. Sunt autem talia:

V. Ottobonianus 1592 = B (Sabbadinii Blondinus) [6]), chartaceus, anno 1422 cursivis litteris diligentius quam nitidius a Flavio Blondo e Laudensi ipso descriptus, Brutum solum ex opusculis Tullianis continens fol. 14 r — 58 v, praeterea Elogium Marii, L. Aretini De militia libellum, Elogium Fabii.

VI. Neapolitanus IV B 43, olim Guiniforti Barzizii Ber-

---

[1]) Cf. huius diss. pag. 15 et 20.

[2]) Heerdegen, ed. prol. pag. XVI. sqq. et Fleckeis. annal. 131, 110 sqq., Stangl, Bl. f. b. G. 121, 40 sqq. et DLZ. 1884, 1823 sq., Sabbadini, Riv. di fil. XVI, 107 et 116 sqq., Friedrich, Fleckeis. annal. (1887) 135, 77 sqq.

[3]) Cf. huius diss. pag. 20 sq.

[4]) Stangl, DLZ. 1884, 1823 et Bl. f. b. G. 21, 39 sqq., Heerdegen, Fleckeis. annal. 131, 109 sq. et Bl. f. b. G. 22, 106 sq., Sabbadini, Riv. di fil. XVI, 118 sq., Detlefsen, Act. philol. conventus Kil. 1870 pag. 101 sq.

[5]) Cf. huius diss. pag. 28.

[6]) Heerdegen, Fleckeis. annal. 131, 106 sqq., Sabbadini, Riv. di fil. (1886) XIV, 429—432 et (1888) XVI, 107.

Digitized by Google

gomatis = G (Sabbadinii Barzizianus)[1]), membranaceus, foliorum 57, Brutum solum continens.

VII. Neapolitanus IV B 36 = N (in Stangliana editione littera H signatus)[2]), chartaceus, anno 1422 et sequenti ab Hugone Mazolato Ferrariensi de Flavii Blondi exemplari, id est de codice B, descriptum Brutum ac praeter eum Tullianarum epistularum partem, Plinii epistulas, nonnullas humanistarum epistulas continens.

Atque ut de his codicibus singulis loquar, primum de iis agam, de quibus iam non inter se dissentiunt homines docti. Sic Florentinum Magliabecchianum I 1, 14 = F e Laudensi ipso derivatum et Nicolao Niccoli e Lombardia Florentiam missum esse[3]) inter omnes constare videtur[4]), codicem Ottobonianum 1592 = B a Flavio Blondo in usum Guarini Veronensis e Laudensi ipso exaratum esse atque ex eo Neapolitanum IV B 36 = N manavisse[5]) nemo negat.

At de ceteris, quos nominavi, libris manu scriptis ac litteris POM signatis adhuc sub iudice lis est. Audiamus igitur, quae de illis a singulis hominibus doctis sint prolata, tunc ipsi iudicemus. Vaticanum quidem codicem Palatinum 1469 = P ex ipso Laudensi haustum atque a Gasparino Barzizio correctum et subscriptum esse Heerdegenius opinatur ob hanc illius subscriptionem: *Ex vetustissimo Codice. Libri tres de Oratore ad Q. fratrem. Item orator ad M. Brutum transcripti perfectique expliciunt et ad exemplar emendati. deo gratias.* Cuius scripturae ductum simillimum esse affirmat eius, quem in aliis libris Gasparini esse invenerit. Idem Heerdegenius Ottobonianum

[1]) Sabbadini, Riv. di fil. XVI, 107 et 114 sq.

[2]) W. f. kl. Ph. 1884, 1209; DLZ. 1884, 1823; Bl. f. b. G. 21, 38 sq., Fleckeis. annal. 131, 108 sq.

[3]) Conferatur Vespasiani Florentini narratio, quae est in De vitis CIII virorum illustrium saec. XV. libro Romae anno 1839 edito (pag. 618); exscripserunt eam Heerdegenius in editionis suae prol. pag. XIV et in Germanorum linguam versam Detlefsenius in laudatis actis philol. conv. Kiliensis a. 1870 (pag. 102). Ceterum hic narrationem illam ad alium librum pertinere suspicatur (pag. 107).

[4]) Heerdegen, ed. prol. pag. XIV sq., Stangl, Bl. f. b. G. 21, 39.

[5]) Primus illud demonstravit Heerdegenius in Fleckeiseni annal. (1885) 131, 106 sqq.

Digitized by Google

quoque codicem 2057 = O fluxisse ex ipso Laudensi sibi persuasit, quia Viglevius quidam corrector, cuius altera est illius O subscriptio, librarium saepissime ob falso scripta reprehendat hisce verbis: *male enim interpretatus est codicem vetustissimum* vel: *male quidem amicus noster transtulit litteras codicis veterani* vel: *pessime enim amicus noster antiquarum litterarum cognovit effigiem.* At gravissima obstant, ne assentiar Heerdegenio. Sic Stanglius, quamquam cetera, quae locis laudatis opposuit, pro nihilo duco [1]), unum certe summo iure opposuisse [2]) videtur. In codicibus enim B et N ad paragraphi 49 verba: *Et Graeciae*, quibus alium incipiunt versum, in margine adnotaverunt librarii: *In veteri continuat testus ubique sine capitulo vel testiculo. verum unde hec c^a. tu mi Guar. intellegis.* B. — *In veteri continuat testus ubique sine capitulo vel testiculo. verum tamen hoc capitulum tu mi Guar. Intelligis.* N. — Haec cum in Bruto legam, verisimillimum iudico non eius unius [3]), sed omnium libellorum oratoriorum textum in Laudensi *sine capitulo vel testiculo* continuasse, praesertim cum codex scriptura continua ita exaratus fuerit, ut singula vocabula spatiis non distinguerentur. Et quoniam codices O et P plane eadem habent capitula neque alter ex altero manasse potest, Stanglio assensus hos duos ex aliquo Laudensis apographo demum derivatos esse suspicor. Quodsi Sabbadinius [4]) fortasse iam Laudensem a Cosmo Cremonensi interpunctum fuisse opinatur, dicat quaeso nobis, cur Florentinus nulla eius interpunctionis habeat vestigia, quamquam post illos duos exaratus est. Deinde occurrit historia, ut ita dicam. *Cum nullus Mediolani esset repertus*, inquit Flavius Blondus in Italia illustrata, quam p. 13 laudavi, *qui eius vetusti codicis literam sciret legere, Cosmus quidam egregii ingenii Cremonensis tres de oratore libros* [5]) *primus transscripsit, multiplicataque inde exempla*

[1]) Neque enim quam Stanglius (Bl. f. b. G. 21, 41) affert conclusionem probare possum et ad reliqua, quae ibidem (pag. 42 sq.) exponit, bene respondet Sabbadinius (Riv. di fil. XVI, 114).

[2]) DLZ. 1884, 1823 et fusius Bl. f. b. G. 21, 38 sqq.

[3]) Nam id Heerdegenius (Fleckeis. annal. 131, 109 not. 6) voluit.

[4]) Riv. di fil. XVI, 117 sq.

[5]) Quod Blondus hic De oratore tres libros in illo exemplari a Cosmo transscripto exstitisse refert omisso Oratore, id eiusdem negle-

Digitized by Google

omnem Italiam desideratissimo codice repleverunt. Nos vero cum publicis patriae tractandis negotiis adolescentes Mediolanum adiissemus Brutum de claris oratoribus primi omnium mirabili ardore ac celeritate transscripsimus, ex quo primum Veronam Guarino, post Leonardo Iustiniano Venetias misso omnis Italia exemplis pariter est repleta. Quae Blondi narratio compluribus confirmatur eius aetatis epistulis[1]). Flavius igitur, qui Brutum solum scriptura minime nitida neque ullo modo exornata *a nonis ad ydus Octobres 1422*[2]), id est octo diebus, perfecit, laudibus efferre potest mirabilem suam celeritatem. Codicem O, qui quinque oratorios libros continet, inde ab Idibus Octobribus usque ad paenultimum Novembri diem[3]), id est quadraginta quinque diebus, omni decore cultuque exornatum atque quam pulcherrime scriptum esse censueris? Immo vero exemplar illud Cosmi Cremonensis, in quo De oratore libros et Oratorem exstitisse scimus, fons est codicis O, qui eodem fere tempore scribi coeptus est quo B. Sed non modo codicis O illa origo est; P quoque inde fluxit[4]). Cosmus enim suo in exemplari textum Laudensem in capitula distribuit; Cosmi exemplar correxit et emendavit et interdum corrupit Barzizius, priusquam inde manarent apographa. Quo factum est, ut codices P et O plurimis locis paria tradant, cum a codicis F scriptura recedant neque falsa illorum lectio ad Laudensem revocanda sit[5]). Cuius rei ex Oratore afferam nonnulla exempla ac testimonia. Monitos autem velim lectores et P et O ex ipso Laudensi, ut statim videbimus, correctos esse, ne quis plerumque a scribis FP^2O^2 archetypi verba tradi miretur. § 12 (4, 24) *etiam* FP^2O^2, om. P^1O^1, ubi non inconsulto omissum esse videtur superfluum vocabulum

gentiae esse bene exponit Heerdegenius, Fleckeis. annal. 131, 112, qua nonnullis versibus ante Blondus nominaverit Brutum ante Oratorem, cum ipse in codicis B subscriptione alio eoque veriore ordine enumeret libellos Tullii oratorios.

[1]) Cf. Detlefsen, Act. philol. conv. Kil. p. 98 sqq.

[2]) Cod. B subscriptio ea docet.

[3]) Haec ex O subscriptione minore petita prompsi.

[4]) Iniuria igitur Palatinum ipsum codicem Cosmianum ducunt Heerdegenius et Sabbadiniuś.

[5]) Similia profert Fridericus in Fleckeis. annal. 135, 79.

Digitized by Google

in codice Cosmiano, quem littera y signemus. — § 13 (5, 10) *iudicium* F *iudicum* PO, qui pluralis numeri genetivus ad *paucorum* relatus erat, quam ob rem de sequenti nomine particulam *que* expunxit P² — § 26 (9, 1) *Ctesiphonte* F *ethesiponte* P *Cthesiphonte* (littera C ex E corr.) O ac similiter § 133 (43, 24) *Ctesiphontis* F *ethisiphontis* P¹ *cthisiphontis* P² *Cthesiphontis* (C in ras.) O: itaque *Ethesiphonte* (*is*) y. — § 37 (12, 24) *epedicti coñominatur* PO: y litteras falso in vocabula distribuerat. — § 39 (13, 17) *nimiumque* F *minimeque* PO: Barzizium suo ex arbitrio, sed pessime in y quae invenit correxisse censeo, cum ei Cicero dicere videretur haud satis depictam fuisse ut modo primumque nascentem eius aetatis orationem. — § 42 (15, 7) *hae* FO² *haec* PO¹: *haec* bene emendatum erat in y. Idem dicendum est de § 221 (79, 11) *hae* FO² *haec* PO¹. — § 42 (15, 8) *autem iam* F *autem* PO: *iam* in y deleverat Barzizius, qui duabus particulis ita coniunctis offendebatur. — § 45 (15, 26) *ut uti* F *uti* PO: coniunctio oculorum errore in y exciderat. — § 58 (19, 17) *nec a* FP² *nec ea* OP¹ — § 66 (21, 28) *quo* F *quod* PO: antecedit *illud*. — § 71 (23, 17) *ut vitae* FO² *ut vitet* PO¹: coniunctivus debetur particulae *ut*. — § 74 (24, 22) *Agamemnonis* F *Agamenonis* PO: neglexit Cosmus lineolam, quae in L erat super litteram *e*. — § 78 (26, 4) *quas id* F *quasi id* PO. — § 92 (30, 8) conferas huius dissertationis pag. 75. — § 101 (33, 11) *idem illud* FA *illud idem* PO: y vocabula transposuit, nam F adiuvatur codice A. — § 104 (33, 26) *at quid* AFP² *at qui* P¹O et statim *si qui* AF *si quid* PO. — § 110 (36, 8) *credo* AF *crebro* PO: locum corrupit y ob insolitam structuram. — § 113 (37, 4) *actamen* AF *attamen* PO. — § 135 (44, 19) *susum* AFP²O² *sursum* P¹O¹: bene emendaverat Barzizius in cod. y. — § 138 (46, 11) *caveant* FA Iul. Victor *caveat* PO Quintil.: ob cetera verba singulari numero adhibita hic quoque eundem numerum Barzizius restituerat in y. — § 153 (51, 10) *radiantis et est aein vada* F *radianti se teste in vada* PO¹: sane et F et P et O litteras falso in vocabula distributas habent. At tamen quis casu quodam plane eadem menda irrepsisse dicet in P atque in O? — § 157 (54, 12) *sonabat* FO² *sonat* PO¹ — § 158 (55, 11) *nisi litteram* FAP²O² *insilit ter-*

Digitized by Google

ram P^1O^1 — § 159 (56, 13) *quaere* AFO^2 *quare* PO^1. — § 161 (57, 9) *duo* FO^2 *duae* APO^1: bene Barzizius in y emendavit illam quam L habuerat formam *duo* in femininam, sed stulte O^2 nativam reduxit. — § 168 (60, 6) *vidi cum* FA *iudicū* PO. — § 174 (62, 22) *id vel* AFP^2O^2 *illud* P^1O^1. — § 187 (67 8) *quod et si est et angusta* FP^2O^2 (vet.) *et* om. AP^1O^1: Laudensis lectionem F servasse puto, praesertim cum P^2 et O^2 omissam particulam addant; sano iudicio usus Barzizius in y eam damnaverat. — § 187 (67, 9) *conlatata* F *collata* PO^1 *collatata* in marg. O^2. — § 189 (68, 6) *agnoscit* AF *cognoscit* PO: quod posterius ut potius exspectandum Barzizius in y intulisse videtur. — § 190 (68, 20) *eosdemque* AF *eos denique* PO. — § 221 (79, 17) *defrudasse* FP^2O^2 *defr*udasse* P^1 *defraudasse* O^1: antiquiorem formam in L exstitisse e consensu FP^2O^2 colligimus, recentiorem consulto in y insitam esse opinor. — § 224 (80, 12) *incise* F *incisa* PO. — Inscriptionem denique et subscriptionem, ut iam vidimus, omiserunt PO; iam non habuerat y. Satis multa haec esse testimonia censeo ad id quod volo demonstrandum: codices O et P germanos esse fratres, nectamen singulos ex ipso Laudensi derivatos. Atque me adiuvat Fridericus [1]), cum de Palatinae scripturae ductu haec iudicet: 'Die Schrift ist eine feste und bestimmt ausgeprägte; etwas steif, aber in großen, sichern und zusammenhängenden Zügen bewegt sie sich vorwärts, wie sie nur auf Grund einer gleich lesbaren Vorlage möglich waren'.

Sed quaeviserit quispiam, unde in Ottobonianum manaverit Brutus, qui deerat in Cosmi exemplari. Qua in re auxilio nobis venit Detlefsenius, cum in actis philol. conv. Kil. pag. 101 hanc Barzizii epistulam afferat: *Postquam Brutus noster ad me rediit, Pater Reverendissime, sepe illum, ut pollicitus eram, mittere ad te volui, sed incidi in homines aut minus . . . cupidos, aut qui negotium, quod* (*quod* coni. Detlefsen, *quibus* cod.) *tum eis committere* (sc. *volui*), *non intelligebant.* Missam autem esse hanc epistulam ad Franciscum Bossium, Cumanum (Novocomensem) episcopum, suspicatur. Ad eiusdem Francisci Bossii usum transscriptus est codex O, id quod ex altera eius subscriptione efficitur. Nonne igitur apertum fit

[1]) Fleckeis. annal. 135, 75 sq.

Digitized by Google

primo solos De oratore libros et Oratorem in O exstitisse eamque ob causam Bossium a Barzizio Bruti aliquod exemplar petivisse, ut quintus ille oratorius liber adscribi posset? Confirmari denique videtur opinio mea, cum Detlefsenius in actis, quae laudavi, (pag. 105) disserat: 'Zunächst sahen wir, daß kaum je die Rede war von Abschriften, die alle drei Werke zugleich, die Bücher De oratore, den Orator und Brutus enthalten hätten; selbst das zuerst abgeschriebene Exemplar, welches Gerardus Landrianus von Gasparinus erhielt, scheint den Brutus noch nicht mit enthalten zu haben. Vielmehr sind jene Werke zuerst entweder einzeln oder zu zweien abgeschrieben, und wenn wir alle drei in einem Codex wieder vereinigt finden, so ist die Wahrscheinlichkeit immer dafür, daß ein solches Exemplar erst verhältnismäßig später zusammengestellt ist und vielleicht aus Teilen verschiedener Überlieferung'[1]).

Verum quo modo, dum ex Cosmi demum exemplari P et O fluxisse nobis persuaserimus, interpretandae nobis sunt utriusque codicis subscriptiones? Palatinum quidem, cum e Laudensis ipsius apographo primo et a doctissimo viro perfecto transscriptus esset, ut fidem ei afferret, suo iure Barzizius potuit testari 'ex vetustissimo codice' manavisse. 'Ex vetustissimo' igitur codice per apographon Cosmianum derivatus est P et 'ad exemplar' (nach dem Original) ipsum correctus. Quodsi O corrector compluries reprehendit librarium, illum erravisse in eo arbitror, quod codicem tribus annis ante de Laudensi ipso descriptum esse putavit. Qui error unde ortus sit, satis manifestum est. An quicquam verisimilius ei videri potuit quam codicem integrum eodemque anno perfectum, quo inventus erat Laudensis, inde fluxisse? Haud minus iniusta est laus, quam Viglevius Bossio tribuit Cumano. Neque enim Bossium *primum veterem et superiorem codicem non sat a plerisque legibilem ob antiquarum litterarum effigiem stilumque incognitum in latinas et explicatas bene litteras studioseque interpunctas summa diligentia renovavisse* concedere

[1]) In Mutinensem quoque codicem Oratorem fluxisse ex alio exemplari ac Brutum mox videbimus.

Digitized by Google

possis[1]), nisi forte Heerdegenium secutus haec verba ita interpretari velis, ut eum primum totum codicem Laudensem descripsisse significent. At non totum descripsit: *rhetoricorum novos et veteres qui habebantur* libros ipse quoque neglexit. Itaque illi laudi similis est causa atque Raphaeli Volaterrano[2]), cur laudet Gasparinum hisce elationibus: *Gasparinus Bergomas a Philippo Vicecomite accersitus Mediolani ludum aperuit. Is libros Ciceronis de oratore primus repperit ac perlegit*[3]), *cum flagitiosa ac pene incognita litera scripta essent*, vel etiam Vespasiano Florentino, cur in Nicolai Niccoli Florentini Vita eum talibus efferat laudibus: *De Oratore fand sich fragmentiert, und Nicolaus war Veranlassung, daß man es ganz fand, wie es heutiges Tages ist*[4]). Et fortasse etiam debetur Viglevii laus simili errori ac Vespasiani et Cicci Polentini de libris tribus De oratore vel de Oratore Brutoque inventis, de quibus erroribus sic iudicat Detlefsenius (pag. 102): 'Man erkennt aus diesen Angaben, wie schnell damals bei der Fülle der sich drängenden Entdeckungen die richtige Kunde des Details selbst bei den Zeitgenossen sich verwirren konnte'.

Restat, ut de O correctoribus pauca addam, de quibus Heerdegenius[5]) quidem sentit haec: *Locis . . . ubi quid e Laudensi in margine emendavit* (sc. Viglevius), *satis habuit adscripsisse vocabulum vetus. Nec tamen has solum adnotationes corrector e Laudensi hausit, sed etiam alias addidit, in quibus si quid aliter alibi legeretur indicavit; et his quidem fere adscripsit notam al.; quarum adnotationum plurimae repetitae sunt ex codicibus mutilis iisque interpolatis. Est denique in margine*

---

[1]) Id quod Heerdegenius (Fleckeis. annal. 131, 112) vult, ea verba ad omnes quinque libros oratorios referri, quia antea haud cuncti uno in exemplari fuerint transscripti, vix licere puto.

[2]) Anthrop. lib. 21, 245; Detlefsen l. l. p. 99.

[3]) Gasparinum ipsum L legere non potuisse dicit Blondus verbis illis, quae pag. 16 sq. attuli.

[4]) Illa verba in vernaculum sermonem versa Detlefsenius l. l. p. 102 sq. affert et addit: 'Vespasianus häuft auf seine Florentiner auch wohl einmal ein wenig mehr Ruhm, als ihnen zukommt'.

[5]) Ed. prol. pag. XVII sq.

Digitized by Google

tertium quoddam adnotationum genus, quod ad orthographiam pertinet et ab ipso iam librario factum est. Haud paucis enim locis codex Laudensis quasdam verborum formas servaverat antiquiores; quarum formarum speciem librarius quasi admirans hac nota apposita testatus est: Antiq̄. vel: A. In subscriptione autem Ottoboniani corrector de se ipse nuntiat: tres oratorios libros correctos, emendatos, conformatos et iustificatos esse cum codice Laudensi per Antonium Iohannis Simonem Petri Bossios et se Franciscum Viglevium de Ardiciis. Qualis communis trium illorum hominum doctorum labor codicis emendandi cogitari possit, haud male exponit Fridericus in Fleckeis. annal. (1887) 135, 78 atque idem in O etiam nota *vet'* apposita quasdam nullius ponderis correcturas adscriptas esse ibidem demonstravit et sese in O et in P e vario scripturae ductu complures cognovisse correctores affirmavit. Sed a Friderici et Heerdegenii opinione valde abhorret Stanglius [1]), qui admodum mirabilia haec profert: 'Die Emendationen in O (= O^2), am Rande angebracht, sind doppelter Art: entweder ist das Sigel vet' (= vetus codex) über sie geschrieben, oder ał vor sie. Beide Klassen stammen nach dem Wortlaut der subscriptio, welche einzig von einer Emendation aus dem Archetypus Laudensis spricht, aus L, und zwar geben die vet' den Text an, die ał Varianten, die zwischen den Zeilen oder am Rande der alten Handschrift seit mehr als 400 Jahren gesammelt worden waren'. Examinemus breviter illam argumentationem. Num ex eo, quod non omnes correctores adscripserunt, unde singulas correcturas prompsissent, cunctas ex uno illo codice qui laudatur fluxisse efficitur? Accedit alterum quoddam eius modi, ut facilius adducar ad ipsius verba in ipsum adhibenda: Unentwirrbar gar und bloß mit einem gordischen Schwertstreiche zu zerhauen ist der historische Knoten, den — Stangls Hypothese involviert. An quadringentis annis, quorum quot abditus et obscurus in ecclesiae Laudensis archivio ille codex latuerit plane ignoramus, varias lectiones in eo adscriptas esse putas? Nam si haud ita multo postquam scriptus est iam periisse eum (atque eius exemplar)

[1]) Bl. f. b. G. (1885) 21, 45 et 119.

Digitized by Google

neges, difficile erit cognitu, cur ex eo derivata non sint apographa. Neque tamen Stanglii opinionem sic praeterire velim, cum ignorem, utrum ille homo meo quidem iudicio et doctissimus et de Ciceronis oratoriis libris emendandis optime meritus eam nunc quoque teneat necne. Spectemus igitur singulas correcturas in Oratore adscriptas, eis scilicet omissis, quae ex eodem fonte haustae esse possunt, unde codex ipse manavit, necnon eis, quae ad orthographiam tantum pertinent.

Ac primum octo, nisi quem errore praetermisi, locis corrector adscripsit notam *vet'* iisque: § 159 (56, 8) *prima* AO^2 F^2 P^2 *parma* O^2 vet. F^1 P^1: O^1 bene emendavit, quod invenerat[1]); O^2 reduxit, quod in L fuit. — § 161 (57, 9) *duae* A *duo* FO^2 vet.[2]) *due* PO^1: quod y emendaverat, O^2 denuo ex L corrupit. — § 187 (67, 8) *quod et si* FO^2 vet. P^2 *et* om. AP^1 O^1: y verum viderat[3]). — § 187 (67, 9) *conlatata* F *collata* PO^1 *collatata* in marg. O^2 vet.[3]) — § 187 (67, 10) *accedere* FPO^2 vet. *accredere* O^1: quid in L exstiterit, plane perspicuum est. — § 191 (69, 2) *dactylus* O^1 *dactylicus* FPO^2 vet.: quod quin in L fuerit, nemo dubitat. — § 210 (74, 31) *adquirit* FP *acquirat* O^1 *acquirit* in marg. O^2 vet.: ut non loquar de re orthographica, indicativum modum in L fuisse constat.

Adhuc ratione animoque lustravimus eos locos, quibus Laudensis lectionem cognovissemus, etiamsi illa nota non esset apposita. Aliter res se habet in § 216 (77, 9), ubi legenda sunt: *paucitatem enim pedum gravitate sua et tarditate compensat* (sc. *spondius*) habentque: *gravitatis suaet* F *gravitatis suae* PO^1 *gravitate sua et* in marg. O^2 vet. et Rufinus. Nam in L fuisse opinor: *gravitatissuaet*, quod non intellegens ad litteram descripsit F, cum Barzizius *gravitatis suae* genetivum tarditatis nomine regi censeret atque ita in y litteram *t* exstingueret. Et quaerenti, unde venerit vera lectio, deberi mihi videtur coniecturae haud ita difficili, cui Viglevius notam *vet'* addere potuit, quia intra id spatium, quod intererat inter

[1]) Alios quoque locos hic librarius emendavit, permultos alios corrupit, saepissime (ut 3, 13; 16, 13; 16, 21; 21, 29; 24, 5; 38, 25; 39, 22; 41, 20; 42, 15; 85, 20 aliisque locis) verba transposuit.

[2]) Cf. adnotationem Stanglii.

[3]) Cf. huius diss. pag. 19.

Digitized by Google

a. d. III. Kal. Dec. MCCCCXXII et a. d. VI. Kal. Mai. MCCCCXXV, in Laudensem irrepserat.

Nectamen semper, cum Ottoboniani textum e Laudensi corrigebat, Viglevius illam notam *vet'* addebat, id quod cum alia testimonia testantur, quae facile possunt inveniri, tum haec: 4,24 *sim*; 15,7 *hae*; 23,17 *vitae*; 44,19 *susum*; 62,22 *id vel*; 79,11 *hae*; 79,17 *defrudasse*[1]). Itaque si quid de hac re suspicari licet ei, qui libros manu scriptos non inspexerit, unus e tribus illis, de quibus loquimur, correctoribus notam *vet'* apposuisse, duo ceteri non apposuisse videntur.

Reliquorum, quae in O correcta sunt, nunc partem cogitatione contemplemur. Quorum haec e Laudensi hausta non sunt: § 32 (10,26) *hi antea* FPO[1] *hiantea* in marg. O[2]; § 37 (12,24) *epedicti cōnominatur* PO[1] *epedicticon nominatur* in marg. O[2]; § 152 (51,10) *radianti se teste* PO[1] *se teste* coniunxit O[2]; § 157 (54,4) *si et* FPO[1], coniunxit O[2]; § 189 (68,4) *hypponactacos* FO[1] *al hypponacta eos* in marg. O[2] *hypponactacos* P. Haec e veterrimo archetypo prompta non esse dico. Nam quia ibi verba spatiis distincta non erant, nemo habuit, cur litteras falso vel distractas vel coniunctas esse adnotaret.

Quoniam igitur vidimus primum quae O[2] in L invenerat adscripta esse nota *vet'* addita, deinde non modo ea, quibus illa nota est apposita, sed alia quoque ex L esse petita, tum non omnes Ottoboniani correcturas e Laudensi fluxisse, restat, ut quaeramus, unde manaverint ceterae et qua nota adscripta cognoscendae sint. Ac multae sumptae sunt e libris, qui dicuntur, mutilis, ut: § 128 (42,11) *in quo* A *id quo* FPO[1] *al. in quo* in marg. O[2]; § 138 (46,9) *interpellatorem* A et Quint. et Iul. Vict. *interpellat oratorem* FPO[1] *al. interpellatorem* in marg. O[2]; § 148 (49,18) *me* om. FPO[1] *al. me* in marg. O[2]; § 151 (50,20) *fecerat* A om. FPO[1] *al. fecerat* in marg. O[2]; § 152 (51,10) *radiantis etesiae in vada* A *radiantis et est aein vada* F *radianti se teste in vada* PO[1] *al. hetesie* in marg. O[2]; § 158 (55,2) *acceptis* A *accepti* L *al. aceptis* in marg. O[2]; § 158 (55,9) *quam ut* A *quam et* FPO[1] *al. ut* in marg. O[2]. Hasce lectiones O[2] solus e mutilis sumpsit, cunctas in margine

[1]) Illis de locis pag. 17—19 egi.

Digitized by Google

addidit nota *al.* apposita. Duas alias correcturas, quae e libris mutilis haustae videntur, non solum O^2, sed etiam P^2 adscripsit eaeque sunt: § 155 (53,7) *pavor* A *pavox* FP^1O^1 *r* superscr. P^2 *al. pavor* in marg. O^2; § 160 (56,18) *convitio* A *convicto* FP^1O^1 corr. P^2 *al. covitio* in marg. O^2. Et cum P^2 quoque ad P corrigendum saepe mutilos adhibuerit idque multis locis, ubi O^2 eos non adhibuerit, duas has extremas correcturas eiusdem esse condicionis existimo atque illas, praesertim cum eodem modo in margine additae et signatae sint.

Alius vero condicionis sunt aliae duae correcturae, quas communes habent O^2 et F^2. Neque enim F^2 quicquam e mutilis codicibus petivisse videtur. Itaque cum humanistarum, qui vocantur, coniecturas in Laudensem archetypum irrepsisse statim cognoscamus, cuiusdam viri docti ingenio deberi suspicor etiam § 146 (48,22) *referta* A *refecta* F^1PO^1 in marg. corr. F^2O^2 et § 156 (53,13) *capitaliū* AF^2 *capitolium* F^1PO^1 *al. capitalium* in marg. O^2. Ne autem nota *al.* in O apposita offendaris, eam saepe inveniri praemitto, id quod statim fusius ostendetur, cum O^2 aliquid e L hauriebat, quod ibi adscriptum erat tribus illis annis post inventum Laudensem et antequam O ex eo correctus est. Etiam hae humanistarum esse coniecturae videntur, quae in L adnotatae erant: § 29 (10,1)[1]) *Lysias* FP^1O^1 *al. thysias* in marg. P^2 *Tysias* in marg. O^2; § 38 (13,3) *arguiti* FO^1 *arguṭiti* P *al. arguti* in marg. O^2; § 42 (14,26) *Socraten* P^1 corr. P^2 *Socratem* O^1 *al. isocratem* in marg. O^2 *isocraten* F (*socratē* L)[2]); § 81 (27,6) *scire* $F^1P^1O^1$ *al. lascivire* in marg. P^2O^2; § 87: *quorum duo genera sunt, unum facetiarum, alterum* [*alterum* FPO^1 *al. altero* in marg. O^2] *dicacitatis: utetur utroque, sed altero in narrando aliquid venuste, altero* [*alterum* FOP^1 *altero* P^2] *in iaciendo mittendoque ridiculo.* In Laudensis margine correcturas adscriptas fuisse haec paragraphus clarissime testatur. Nam priore loco L verum habuerat nominativum *alterum*, posteriore corruptum *alterum*. Quod posterius correxit homo quidam doctus, cum ablativi

[1]) Nisi forte vitiosum *Tysias* iam in L fuisse atque in F et y bene emendatum malis credere.

[2]) F^1 plurima optime emendavit, ut 5,1; 6,24 etc.

Digitized by Google

formam in margine adderet. Hanc autem Viglevius vel alius O corrector iniuria ad priorem locum rettulit, verius ad posteriorem Palatini corrector. Eodem modo etiam ea, quae in libri L textu erant, nota *al.* praefixa adduntur: § 149 (50,2) *cadat* APF *dicat* O¹ *al. cadat* in marg. O²; § 153 (51,13) *etuas* A *vivas* FP *iuvas* O¹ *al. vivas* in marg. O². Adscriptae fuisse videntur in L hae correcturae: § 199 (71,29) *tam* FP¹O¹ *tam̄* P² *al. tamen* in marg. O²; § 203 (73,1) *tacito* FO¹ *al. tam cito* in marg. O² *tam cito* in ras. P²; § 214 (76,11) *quam* FO¹ *al. quem* in marg. O² *quae* P¹ *quē* P².

Plurima suo ex ingenio emendavit O², sic: 10,25 *cum mutila*; 10,26 *hiantea*; 12,24 *epedicticon nominatur*; 49,10 *vel ạd*; 51,10 *seteste*; 51,16 *bivis*; 51,17 *duellium*; 52,5 *deinḍẹ*; 54,4 *ẹsṭ*; ib. *siet*; 58,9 *bonitate.*

Neque hoc codicum genus perscrutantis nihil interest Ottoboniani tres glossas diligentius examinare. Sunt autem hae: § 152 (51,6) post *qui* in marg. add. O²: *al. tanquam nobis greci atque barbari*, quae eadem verba in Erl. inveniuntur; § 163 (58,6) *al. auratus aries colchorum* in marg. O², quibuscum conferantur: *aut auratus alles bolcorum* Erl.; § 168 (60,1) post *cogniti* in marg. add. O²: *al. etiam a latinis*, quae eadem sunt in Erl. — Ottobonianus igitur correctus est e codice mutilo emendati atque interpolati generis, cuius ex libris exempli gratia nomino Erlangensem [1]).

Atque ut ea, quae de O² cognovimus, breviter complectar: si quid e L est sumptum, saepe nota *vet'* apposita, saepe omissa est; pleraque aliunde sunt hausta sive e codice mutilo generis emendati et interpolati, sive e L margine, sive ex ipso Cosmi exemplari; quae omnia fere nota *al.* sunt signata; permulta alia correctoris debentur ingenio. Tantum autem et tam varium laborem non esse unius hominis quamvis docti vix dici oportet.

Perpauca denique addantur de Florentini et Palatini correctoribus. Uterque codex e Laudensi correctus est, id quod de Florentino sine dubio creditur, de Palatino sequitur ex hisce locis: § 12 (4,24) *etiam* F om. P¹O¹ superscr. P²O²; § 20

[1]) Cf. § 159 (56,7) *indoctus* A *inductus* FP¹O¹ *al. inclitus* in marg. P²O² Erl.

Digitized by Google

(7, 14) *idem* P^1 *id est* P^2FO; § 104 (33, 26) *at quid* AFP^2 *atqui* P^1O; § 133 (43, 24) *Ctesiphontis* F *Cthesiphontis* AP^2O^2 *Ethesiphontis* P^1O^1; § 135 (44, 19) *sursum* P^1O^1 *susum* AFP^2O^2; § 156 (53, 15) *duo* P^1 *dua* FOP^2; § 187 (67, 8) *quod et si* FP^2O^2 *et* om. AP^1O^1; § 221 (79, 17) *defrudasse* FP^2O^2 *defraudasse* P^1O^1. In Palatinum quoque e mutilo quodam codice eiusdem generis, quo codicis O corrector usus erat, multa fluxisse hisce locis ostenditur: 53, 7 *pavor*[1]); 56, 18 *convitio*[1]) 56, 7 *inclitus*[2]); 69, 8 *levis* FO^1A *al. lenis* in marg. O^2 *lenis* ex *levis* P^2; 56, 8 *inhumanus* FOP^1 *insipiens* in marg. P^2: quod idem exstat in Erl. — 48, 10 *si* add. P^2 et 61, 5 *sin* corr. P^2: quae eadem se in mutilis quibusdam interpolatis invenisse ait Heerdegenius. — 47, 5: *de artificio* AP^2 *de* om. FOP^1; 48, 6: *at* AP^2 *ad* FOP^1; 48, 7: *docere* A *melius docere* FOP^1 *melius* expunxit P^2; ib: *si quasi* AP^2 *se quasi* FOP^1; 68, 23: *sit* A *et* FOP^1 *s. sit* superscr. P^2; 85, 1: *nemo qui* A et (*i* in ras.) P *nemoque* FO; 86, 19: *impudentiam* A *imprudentiam* FOP^1 *al. impudētiā* in marg. P^2. — Eas quoque correcturas recepit P^2, quae in codicis L margine adscriptae erant, postquam y perfectus, sed antequam correctus est P^2 e L. Id autem patet ex eisdem correcturis, de quibus pag. 25 egi: 10, 1; 13, 3; 14, 26; 27, 6; 29, 2; 71, 29; 73, 1; 76, 11. Notam quae est *al.* non addidit P^2 exceptis 10, 1 et 27, 6. Postremo debentur correctoris ingenio: 3, 4: *ab*; 5, 11; *que* expunxtum, quia *iudicum* anteierat; 9, 14: *Mysius*; 19, 17: *nec a*; 33, 22: *selegissem*; 35, 2: *pro ali* —; 66, 8: *cantuque*, cum sequatur *remota*; 70, 2 et 71, 1: *ii*; 70, 15: *poemata*; aliaque. Eadem ratione in F multae correcturae sunt ortae. Haud paucos locos suo ex arbitrio et librarius correxit et alii quoque viri docti aut in textu aut super lineolam aut in margine, ut: 5, 1: *multiplicium*; 6, 24: *ipsum*; 8, 23: *opimum*; 14, 14: *Socrates*; 22, 6: *incitatius*; 27, 6: *sitire*; 35, 2: *aliquanto*; 46, 6: *loquentia*; 48, 22: *referta*; 51, 20; *fugae*; 53, 13: *capitalium*; 55, 10: *e*; 56, 8: *prima*; 65, 1: *est*. Sed e mutilo quodam libro F correctus non esse mihi videtur.

Quoniam igitur hoc praestiti officium, de codice Mutinensi VI D 6 = M brevissime mihi agendum est. Primus Stanglius

[1]) Cf. huius diss. pag. 25. [2]) Cf. huius diss. pag. 26 not. 1.

Digitized by Google

eum adhiberi voluit ad Oratorem emendandum. Stanglium secuti sunt Sandysius ac nuper Wilkinsius. Iniuria tamen; nam ex paucis, quas Stanglius in editione sua adnotavit, illius lectionibus Heerdegenius[1]) apparere ostendit in M Oratorem e Palatino, Brutum ex Ottoboniano 1592 = B manavisse. Qua de quaestione quamquam Heerdegenio adsentior, tamen de M subscriptione interpretanda ab eo dissentio, cum — iis scilicet quae explanavi comprobatis — e verbis *transscriptus perfectusque et ab eo exemplari emendatus, quod a vetusto illo codice primum transscriptum correctumque fuerat* illum M e P exaratum et ex eius fonte, i. e. e Cosmi exemplari, codicis L primo apographo, quod y littera signavi, emendatum esse pateat.

Atque ut ea, quae de Laudensis apographis disserui, stemmate, quod vocatur, exprimam, nec Stanglio[2]) neque Heerdegenio prorsus assensus hanc esse integrorum librorum originem suspicor:



§ 4. De ceteris codicibus integris.

Praeter eos, quos adhuc nominavi, libros manu scriptos permulti exstant alii, qui e codice Laudensi pendent nec tamen ex eo ipso transcripti sunt. Hos Heerdegenius[3]) in tria genera dividit, quorum primum vocat suppletorum, alterum correctorum, tertium integrorum nec mixtorum. Trium autem horum generum codices quosdam inveniri adnotat vel paucis vel compluribus locis haud infeliciter ab hominibus doctis emendatos.

I. Codices suppletos vocat eos, in quibus antiquior aliqui liber mutilus post inventum L auctus est iis partibus, quae

[1]) Fleckeis. annal. 131, 109 sqq. — cf. Gercke, DLZ. IX, 160.
[2]) Bl. f. b. G. 21, 46. [3]) Ed. prol. pag. XIX sqq.

Digitized by Google

in eo antea defuerant. Cuius generis duodecim enumerat libros atque in eis Laurentianum 50, 1, de quo Henricus Rubner anno 1882 fusius disputavit in programmate Spirensi. In illo codice inveniuntur haud paucae lectiones, quae non sunt in FPO, sed ingenio atque arbitrio eius deberi videntur, qui recentiorem codicis partem adiunxit.

II. In quibus integri Oratoris aliquod exemplum hic illic correctum est e codice aliquo mutilo, eos libros Heerdegenius appellat correctos. Quales enumerat triginta duo in iisque Vaticanum 1709 a viro quodam docto emendatum = β et Dresdensem Dc 108, quem Orellius[1]) caute adhibendum esse monuerat.

III. Tertii denique generis enumerantur sexaginta tres libri, inter quos Laurentianum 50, 31 = π, Einsidlensem 307 = ϵ, Laurentianum 50, 18 = λ, ducendos esse Heerdegenius docet, omnes tres e codice F derivatos, porro Vitebergensem[2]), nunc Halensem Y g 24 aliosque, hos quidem ex illo Laurentiano 50, 31 descriptos.

Atque ut diiudicari possit, quae ratio intercedat inter haec duo codicum genera vel potius inter codices Abrincensem et Laudensem et quanti uterque liber manu scriptus ad Oratorem emendandum aestimandus sit, nonnullos Oratoris locos diligentius pertractemus investigaturi, utrum codicem alterum neglegere liceat an alter sit alteri anteponendus an uterque pari modo adhibendus. Intellegemus autem non modo Laudensem, sed etiam Abrincensem minime purum liberumque esse ab interpolationibus, qualem e. g. equidem § 105 *minus* esse iudico, aut a correcturis, quae ad scioli cuiusdam libidinem esse factae videntur, qualis § 103 *accusarentur* mihi videtur. Utrique tamen codici etiam saepius iniuria a viris doctis fidem esse abrogatam eadem, ut spero, opera probabimus. Quidquid autem in Oratore Tulliano statuerimus, idem etiam in libros De Oratore cadere semel moneo, ne in causa nimis tenui et angusta versari tibi videamur, si totam hanc dissertationem in paucis unius libelli locis rectius explicandis continebimus.

---

[1]) Ed. a. 1830 praef. pag. CXIV. [2]) Friderici cod. f.

Digitized by Google

Caput II.

DE LOCIS QUIBUSDAM EMENDANDIS.

Quoniam et de origine et de indole codicum, quibus Orator Tullianus nobis traditus est, satis in priore capite praefati nobis videmur, singulos iam percenseamus locos ipsum libelli ordinem plerumque secuti.

§ 4. Brevi prooemio de officii suscepti difficultate praemisso Tullius oratorem summum et perfectissimum ficturum se vereri dicit, ne tardet studia multorum, qui desperatione debilitati experiri id nolint, quod se assequi posse diffidant, sed par esse omnes omnia experiri, qui res magnas et magnopere expetendas concupiverint. Dein sic pergit: *Quodsi quem aut natura sua aut illa praestantis ingenii vis forte deficiet aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum quem poterit; prima enim sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere. An* [*an* L *nam* λ *ut* β] *in poetis non Homero soli locus est, ut de Graecis loquar, aut Archilocho aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos nec vero Aristotelem in philosophia deterruit a scribendo amplitudo Platonis nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia et copia ceterorum studia restinxit.*

Ita iam primum archetypum atque omnium librorum fontem hunc locum exhibuisse puto, praesertim cum Columella advocato confirmetur haec scriptura. Nam illas, quas in codicibus Laurentiano ac Vaticano invenimus, coniunctiones *nam* et *ut* humanistarum coniecturis deberi constat inter omnes. At tamen duo sunt, de quibus inter se dissentiant viri docti.

Digitized by Google

Primum enim naturam ullo modo a vi ingenii distingui vel ei opponi posse negavit Sauppius in Coniect. Tullian. Gotting. 1857 pag. 6 sq.[1]), quia si quando naturae et disciplinae tertium quoddam adderetur, quo ad eloquentiam impetrandam opus esset, exercitationem accedere oportere dicerent rhetores[2]), ut De or. II, 150[3]): *Inter ingenium quidem et diligentiam perpaululum loci reliquum est arti*; Brut. 25[4]): *sive illa* (scil. eloquentia) *arte pariatur aliqua sive exercitatione quadam sive natura*; Platonis Phaedr. pag. 269 D Sch.: εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσει ῥήτωρ ἐλλόγιμος, προσλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην. Addo hos locos: Cic. Or. 99: (orator gravis), *si ad hoc unum est natus aut in hoc solo se exercuit aut huic generi studuit*[5]) *uni*; De or. II, 232: *ea, quae natura, quae studio, quae exercitatione consequimur*; Brut. 22: *ecquodnam curriculum aliquando sit habitura tua* (sc. Bruti) *et natura admirabilis et exquisita doctrina et singularis industria*; 98: *et ingenio valuit* (sc. P. Crassus) *et studio et habuit quasdam etiam*

---

[1]) Ausgew. Schriften, Berlin 1896, pag. 209.

[2]) Cf. Pideritii prooemium ad De or. l. I. (not. 49 ed VI. pag. 15.)

[3]) Ciceronis libellos oratorios e Friderici, ceteros e C. F. W. Muelleri editione citabo.

[4]) Hac Bruti paragrapho collata Fridericus, et stili Tulliani et artis rhetoricae vir ille peritissimus, in annalium a Fleckeisenio editorum vol. 123 pag. 180 acutissime sanavit eiusdem Bruti § 276, cum unam litteram mutaret. Ubi legitur: *Nec erat* (sc. M. Calidio) *ulla vis atque contentio: sive consilio, quod eos, quorum altior oratio actioque esset ardentior furere atque bacchari arbitraretur, sive quod natura non esset ita factus sive quod non consuesset sive quod non posset.* Pro ultimo verbo scripsit Fridericus *nosset*, ut evaderent: *sive quod natura non esset ita factus* — quod deesset φύσις — *sive quod non consuesset* — quod μελέτη — *sive quod non nosset* — quod ἐπιστήμη deesset. Neque enim cum Weidnero secludo *sive quod non consuesset sive quod non posset,* quia non intellego, cur ea interpolaverit aliquis, neque cum Walchio (Emendat. Livian. pag. 213) ea tantum verba quae sunt *sive quod non posset* — ea enim ad colon praecedens explicandum esse adscripta ille opinatur — quoniam si quis quid non potest, non sola causa est, quod natura non est ita factus; neque cum Sauppio (Coniect. Tull. pag. 7) cola transpono, cum eis transpositis pessime utatur Cicero quattuor particulis *sive* ea ratione, ut binae inter se respondeant.

[5]) Perfectum ex A est recipiendum.

Digitized by Google

domesticas disciplinas; 125: *vir et praestantissimo ingenio et flagranti studio et doctus a puero C. Gracchus.* Et certe hic quoque praeter ingenium et doctrinam laudatur industria, cum Tullius adulescentes moneat, ut eum cursum teneant, quem possint. Itaque Sauppius verba quae sunt *natura sua aut* delenda esse sibi atque O. Iahnio et C. L. Kaysero persuasit. Quam Sauppii coniecturam confirmari Iahnius[1]) adnotavit Columellae testimonio, cuius in De re rust. l. I praef. 29 haec leguntur: *Verumtamen, quod in Oratore iam M. Tullius rectissime dixit, par est eos, qui generi humano res utilissimas conquirere et perpensas exploratasque memoriae tradere concupiverint, cuncta tentare. Nec, si vel illa praestantis ingenii vis vel inclytarum artium defecerit instrumentum, confestim debemus ad otium et inertiam devolvi* et quae sequuntur. Sed, nisi sua ipsius veritate commendaretur litura, Columellae testimonium nullius fore pretii demonstravit Vollbehrius, Ad Cic. Or. symb. crit. 1864 pag. 1 sqq., ubi toto loco adscripto Columellam non solum haec verba, sed Tulliana alia quoque coartavisse et amputavisse ostendit. Et ne Sauppium sequamur, suo iure monet, quamquam eadem offendatur re Madvigius in adv. crit. II, 188, quia nulla excogitari possit causa, cur aliquis tria illa verba addiderit. Integram igitur codicum lectionem retinuit, qui sex annis ante ad Sauppii condicionem accesserat[2]), Fridericus in editione Teubneriana anno 1891 facta, quia ingenium naturae pars esset una[3]). Quod autem cum hoc loco conferri iussit De or. I, 113[4]): illic de natura

[1]) Ed. alter. 1859 pag. 169.

[2]) Philologi a. 1885 vol. 44, 668.

[3]) Rhetoricorum ed. vol. II adn. crit. pag. LX.

[4]) *Sentio . . . naturam primum atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam neque vero istis . . . . . scriptoribus artis rationem dicendi et viam, sed naturam defuisse. Nam et animi atque ingenii celeres quidam motus esse debent . . .; et si quis est, qui haec putat arte accipi posse — quod falsum est, ... inseri quidem et donari ab arte non possunt; omnia sunt enim illa dona naturae — quid de illis dicam, quae certe cum ipso homine nascuntur, linguae solutio, vocis sonus, latera, vires, conformatio quaedam et figura totius oris et corporis? . . . . . sunt quidam aut ita lingua haesitantes aut ita voce absoni aut ita voltu motuque corporis vasti atque agrestes, ut, etiamsi ingeniis atque arte valeant, tamen in oratorum numerum venire non possint.*

Digitized by Google

corporis, quae sunt linguae solutio, vocis sonus, latera, vires, conformatio quaedam et figura totius oris et corporis, Tullium loqui concedo eamque opponere ingenio atque arti, verum tamen non naturam, sed partem tantum naturae, naturam scilicet corporis. Neque loci illius ex De oratore libro primo sumpti initio *naturae* et *ingenii* nomina iungit coniunctione *aut*, sed ea quae est *atque*, pariter atque *animi* et *ingenii* nomina. Sic hoc quoque loco, de quo ago, *natura* et *ingenium* contraria esse nequeunt, sed corporis tantum natura et ingenium, cum pessime opponatur pars toti naturae. At etsi scriberes: *quem aut* ⟨*corporis*⟩ *natura aut illa praestantis ingenii vis forte deficiet*, remaneret id, quo maxime se offendi dicit Heerdegenius in ed. prol. pag. XXX: 'quod tria orationis membra dividi videntur ter posita particula *aut* additis duobus tantum verbis *deficiet*, *instructus erit*.' Quoniam autem *natura* et *ingenium* per se synonymorum potius quam oppositorum loco sint, Vollbehrius ea nomina particula copulativa quam disiunctiva conecti maluit protulitque scribenda: *aut natura sua atque illa praestantis ingenii vis*. At liceat adscribere, quae praeclarissime de naturae voce exposuit Fridericus in Philologi vol. 44 pag. 668 hisce verbis: 'Natura ist zunächst der Körper wie Geist gleichmäßig umspannende Oberbegriff, kann also nicht einseitig ohne einen beschränkenden Zusatz, wie etwa corporis, hier 'körperliche Eigenschaften' bezeichnen (cf. De inv. I, 35; part. or. 35), ist aber dann im Gegenteil, noch häufiger als ingenium, stehender Ausdruck für geistige Beanlagung in der bekannten Dreiteilung neben doctrina und exercitatio geworden.' Itaque equidem Madvigium sequor, cum deleri iubeat illud *aut* solum utpote additum ab eo, qui ablativum *natura sua* pro nominativo acceperit, locumque sic lego: *quem aut natura sua* [*aut*] *illa praestantis ingenii vis forte deficiet*[1]). Quae lectio commendatur collatis Or. 41: *Inest enim natura philosophia in huius viri mente quaedam* et Bruti § 276: *quod natura non esset ita factus*. Dissentio igitur ab Heerdegenio, cui[2]) videtur Cicero verbis *natura sua* signi-

[1]) Wilkinsius quoque Madvigio assentitur in editione nuper facta.
[2]) Ed. prol. pag. XXX.

Digitized by Google

ficare munera illa naturae, de quibus plura dicat De or. I, 114 sqq. et III, 214 sqq. — Heerdegeni vel potius typothetae errorem fideliter amplexus Sandysius quoque scribit De or. III, 114 — atque intercidisse verbum aliquod in primo membro (post *sua*), ut *destituet* vel *impediet* vel *parum adiuvabit*[1]). Necnon reicio vocem, quam Baehrensius[2]) collato Catulli carm. LXI, 192 inserendam obtulit *negleget*, ut scriberentur: *aut* ⟨*negleget*⟩ *natura sua.*

Ad alterum nunc venimus, quod offensionem attulit viris doctis. Verba enim: *An in poetis non Homero soli locus est, ut de Graecis loquar, aut Archilocho aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos* falsam sententiam praebere videntur, cum Tullium aliis quoque in poetarum numero locum tribuere certo sciamus. Nec tamen coniecturis, quales sunt *nam*[3]) vel *ut*[4]) vel *sane*[5]) vel *etiam*[6]), similibusve loco possumus mederi, cum particulam illam *an* legisse constet iam Columellam, qui hanc Oratoris sententiam, et quod ad argumentum et quod ad dictionem pertinet, admirans sic imitatur[7]): *Summum enim culmen affectantes satis honeste vel in secundo fastigio conspiciemur. An*[8]) *Latiae Musae non solos adytis suis Accium et Vergilium recepere, sed eorum et proximis et procul a secundis sacras concessere sedes, nec Brutum aut Caelium Pollionemve cum Messala et Calvo deterruere ab eloquentiae studio fulmina illa Ciceronis.* At plane sanus est ille Oratoris locus et hic Columellae libri, dummodo ἀνακολουθίαν, quam vocant Graeci, utrobique agnoscere velis.

Eiusdem Oratoris § 109 legimus: *An ego Homero, Ennio, reliquis poetis et maxime tragicis concederem, ut ne omnibus*

---

[1]) Abhorrent Rubner, W. f. kl. Ph. II, 1009 et Stroebelius, Burs. Jb. 84, 354 ab hac vel simili interpolatione.

[2]) Rev. de phil. X, 76.

[3]) Id in cod. λ et inde ab Iuntina in omnibus editionibus exstat, etiam in Oxoniensi nuper a Wilkinsio curata.

[4]) Cod. β.

[5]) Suspicatur Orellius in editione altera.

[6]) Coniecit Baehrensius, Rev. de phil. X, 76.

[7]) De re rust. l. I. praef. 29 sq.

[8]) Iniuria editores scribunt *nam*; codices genuinum exhibent *an*.

Digitized by Google

locis eadem contentione uterentur crebroque mutarent, nonnumquam etiam ad cotidianum genus sermonis accederent: ipse numquam ab illa acerrima contentione discederem? Pariter atque illam § 109 hanc quoque § 4 componere voluerat Cicero, ut talia fere legerentur: *An in poetis non Homero soli locus est, ut de Graecis loquar aut Archilocho aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos: in oratoribus primos tantum ac perfectissimos comprobabimus?* Qua sententiarum coniunctione per se posita 'fit in interrogando, ut duae res ponantur et de utraque interrogetur hac vi, ut, cum altera nota sit, id, quod de ea dicatur, de altera etiam dici necesse sit, cum tamen haec utriusque sententiae ratio et conclusio nulla particula, nullo omnino vocabulo, sed sola orationis forma significetur'[1]). Et ad haec illustranda conferantur[2]) ipsius Oratoris § 142: *Cur igitur ius civile docere semper pulchrum fuit hominumque clarissimorum discipulis floruerunt domus: ad dicendum si quis acuat . . . iuventutem, vituperetur?* De fin. l. I, 12: *An partus ancillae sitne in fructu habendus, disseretur inter principes civitatis . . . . .: haec, quae vitam omnem continent, neglegentur?* II, 88: *An dolor longissimus quisque miserrimus: voluptatem non optabiliorem diuturnitas facit?* Ex hoc autem genere sententias iungendi orta est ἀνακολουθία, quam huic Oratoris loco inesse dixi. Nam inter primum alterumque huius structurae membrum, id est inter πρόταcιν atque ἀπόδοcιν, quae Graece dicuntur, fusius atque copiosius explicat Tullius ea, quae paucis verbis expositurus erat, aliaque dat eiusdem rei exempla. Dicturus enim non modo poetarum, sed etiam oratorum eos quoque probari, qui sint secundi vel etiam infra secundos, dilatat sententiam animo conceptam additque neque eos, qui in philosophia minus valuerint, propterea a scribendo deterritos esse neque opifices, qui summum assequi non potuerint, idcirco minus expertos esse, quo possent progredi. Quae si

[1]) Hisce verbis eam explanat Madvigius in Emendat. in Cic. l. de leg. et acad. pag. 39. Quem libellum ut ad opinionem meam probandam adhiberem, Reitzensteinium, cui ob studia mea excitata et aucta summam habeo gratiam, me monuisse grato confiteor animo.

[2]) Exempla illa attulit Madvigius l. l.

Digitized by Google

coniunctione *aut* primo membro annexuisset atque ita adiunxisset, ut tres evaderent sui similes προτάσεις, sententia nimis fieret rhetoris, parum vere oratoris ac foedissime offenderet audientis aures, oculos legentis. Recedit igitur Tullius ab incepta sententiae structura atque quae de philosophis acceperit, directo indicat, quae de artificibus cognoverit, amplificando praedicat. Sed tum sententiam iam non potest ea ratione explere, qua instituit: omnibus, quae inseruit, interpositis ἀπόδοσις difficillima esset ad intellegendum. Nihilo minus eius initium, quod primitus animo concepit, integrum servat scriptor et verbis quae sunt *in oratoribus vero* cum vi in principio collocatis flectit sententiam eamque non interrogando, sed indicando conficit. Atque etiam de singulis oratoribus loqui mavult quam, id quod exspectamus, secernere tantum secundos de primis. Admirabile esse rhetorum discipulos admonet, quantum inter omnes unus excellat Demosthenes, nihilo setius multos fuisse oratores et illa aetate et priore nec defecisse posteriore. Nec solum fuisse alios, quamquam fuerit perfectissimus ille, sed etiam aliquem locum eos obtinuisse et cum clamore auditos esse. Sic complectitur Cicero alteram προτάσεως partem, quae est 'non modo primis in quoque artis vel scientiae genere est locus, sed etiam secundis atque iis, qui sunt infra secundos', cum altera, quae est 'nusquam viri perfectissimi ab elaborando deterruerunt reliquos': duas partes complectitur ἀποδόσει atque concinnitate verborum efficit, ut ἀνακολουθίαν animo percipiamus. Id quidem tantopere placuit Columellae, ut imitari conaretur.

Tale anacoluthon persaepe legitur in litteris Latinis. Eius nonnulla exempla ad Ciceronis De legibus l. I, 46 emendandum collegit Madvigius in dissertatione inaugurali[1]), quam supra laudavi. Similis huius, de qua egi, comprehensio invenitur in Quaest. Tusc. l. V, 73. Loquitur ibi Tullius de sapiente semper beato et: *An* inquit *Epicuro, qui tantum modo induit personam philosophi et sibi ipse hoc nomen inscripsit, dicere licebit, quod quidem, ut habet se res, me tamen plaudente dicit, nullum sapienti esse tempus, etiamsi uratur, torqueatur,*

[1]) Pag. 44 sq.

Digitized by Google

secetur, *quin possit exclamare*: *Quam pro nihilo puto!* Additurum autem Tullium: 'Stoicis, immo Peripateticis etiam, non idem dicendum erit' pluribus ad Epicuri dogmata exagitanda interiectis sententiam non absolvisse bene adnotavit vir ille illustrissimus. Primum enim Cicero dilatat ἐνθύμημα inceptum, cum interponit colon quod est: *cum praesertim omne malum dolore definiat*, *bonum voluptate*, *haec nostra honesta*, *turpia irrideat dicatque nos in vocibus occupatos inanes sonos fundere*, *neque quicquam ad nos pertinere*, *nisi quod aut leve aut asperum in corpore sentiatur.* Deinde inserit, quae aeque atque prima pars interrogando structa sunt: *huic ergo . . . oblivisci licebit sui et tum fortunam contemnere*, *cum sit omne et bonum eius et malum in potestate fortunae*, *tum dicere se beatum in summo cruciatu atque tormentis*, *cum constituerit non modo summum malum esse dolorem*, *sed etiam solum?* Tum annectit membrum, quod respondet secundo, sed non aliqua coniunctione subiciente subiungit, immo vero principali, quam dicimus, sententia pergit: *Nec vero illa sibi remedia comparavit ad tolerandum dolorem*, *firmitatem animi*, *turpitudinis verecundiam*, *exercitationem consuetudinemque patiendi*, *duritiam*[1]) *virilem*, *sed una se dicit recordatione adquiescere praeteritarum voluptatium* ..... *Non enim video*, *quo modo sedare possint mala praesentia praeteritae voluptates.* Postremo concludit Cicero totum ambitum, cum πρότασιν repetit brevibus hisce verbis: *Sed cum is dicat semper beatum esse sapientem*, *cui dicere hoc*, *si sibi constare vellet*, *non liceret* atque tunc demum ponit ἀπόδοσιν, quae tot membris interiectis alia est atque primo voluit scriptor, hanc: *quidnam faciendum est iis*, *qui nihil expetendum*, *nihil in bonis ducendum*, *quod honestate careat*, *existimant? Me quidem auctore etiam Peripatetici veteresque Academici balbutire aliquando desinant aperteque et clara voce audeant dicere beatam vitam in Phalaridis taurum descensuram.*

Neque alia condicione est Phil. I, 16 sqq., quamquam ibi ἀνακολουθία lenitur eo, quod ἐνθύμημα integrum iustumque antecedit. Cicero servari vult Caesaris acta, in primis eius leges,

[1]) Glossam, quae ante *duritiam* exstat in codicibus, omitto illam: *praecepta fortitudinis* a Seyfferto seclusam.

Digitized by Google

quoniam quae in commentariolis et chirographis et libellis tantum, non, ut leges, in aere sint tam religiose serventur. Quod hoc enthymemate exprimit: *An in commentariolis et chirographis et libellis se* (sc. M. Antonio) *uno auctore prolatis, ne prolatis quidem, sed tantum modo dictis, acta Caesaris firma erunt: quae ille in aes incidit, in quo populi iussa perpetuasque leges esse voluit, pro nihilo habebuntur?*[1]) Nihil autem tam esse in actis Caesaris quam eius leges contendit. *An*, inquit, *si cui quid ille promisit, id erit fixum, quod idem facere non potuit?* Desideratur huius modi aliquid: 'Caesaris leges non erunt ratae?' Cuius ἀποδόσεως loco, verbis quae sunt *quod idem facere non potuit* commotus, patres conscriptos admonet, quam multis Caesar multa promissa non fecerit, immo promissa multo plura illo mortuo reperta esse, quam a vivo beneficia per omnes annos tributa sint. Nihilo setius se summo studio illius acta defendere, omnibus, dummodo sint in actis, illius praeceptis obtemperari velle. Tunc subicit, sed alia ratione atque primo habuit in animo, ἀπόδοσιν hisce verbis: *Ecquid est, quod tam proprie dici possit actum eius, qui togatus in re publica cum potestate imperioque versatus sit, quam lex?*

At non modo oratorum est magnum orationis circuitum ita relaxare in complura incisa, poetae quoque eandem continuationis dissolutionem ad artem atque ad praecepta revocaverunt eaque uti non dubitant. Lucretium quidem in prooemio libri primi De rerum natura hanc artem adhibuisse praeclarissime illustravit Reitzensteinius in libello, quem in Th. Mommsenii honorem scripsit inscripsitque 'Drei Vermutungen zur Geschichte der römischen Literatur'. Qui vir doctissimus, quid illo in prooemio dicendum fuerit poetae, sic explanat[2]): 'Der Dichter mußte motivieren, warum er gerade an diese Gottheit sich wendete, der Hymnos mußte eine logische Folgerung in sich aufnehmen, welche sich vollständig kaum geben ließ, und durfte doch den Schwung und Ton nicht einbüßen, der allein den Leser das Unzulängliche

[1]) Hosce primae orationis Philippicae locos e Clarkii recensione laudo.

[2]) In cap. III: Lukrez und Cicero, pag. 47 sq.

Digitized by Google

dieser Begründung übersehen lassen konnte'. Quo modo autem poeta quod erat difficillimum effecerit, Reitzensteinius hisce illustrat verbis[1]), quae item liceat exscribere: 'Ganz allmählich beginnt der Dichter den langen Satz, welcher ihm vorschwebt, aufzulösen. Von dem ersten relativisch angeschlossenen, in Wirklichkeit causalen Satz quae concelebras geht er, scheinbar nur der stärkeren Betonung halber, über zu per te quoniam concipitur, und eben diese Betonung des per te ermöglicht ihm, das dritte Glied wie im Gedanken so auch in der Form selbständiger, dem Stil der Hymnen ähnlicher zu machen: te, dea, te fugiunt. Eben diese Form beweist aber, daß er den Satz grammatisch nicht mehr von quoniam abhängig machen wollte. Die asyndetische Verbindung mit dem Vorangehenden wäre hier unerträglich und müßte zu Mißverständnissen führen. Wie der Inhalt aus dem Grundgedanken quoniam tu universae naturae leporem das frei herausgebildet und der folgenden Schilderung angeglichen ist, so ist auch die Form von den Fesseln der Periode befreit. Das Proömium wird nicht durch einen großen Causalsatz gebildet, und der Dichter hatte allen Grund, dies zu vermeiden. . . . . So löste sich der logisch durchsichtige Gedanke unter der Einwirkung der Hymnenform in selbständige Glieder auf.'

Simile quiddam in Horatii quoque his versibus cognoscitur (Epodon l. I, 5 sqq.):

5. quid nos, quibus te vita si superstite
iucunda, si contra, gravis:
utrumne iussi persequemur otium,
non dulce, ni tecum simul,
an hunc laborem mente laturi, decet
10. qua ferre non mollis viros,
feremus, et te vel per Alpium iuga
inhospitalem et Caucasum,
vel occidentis usque ad ultimum sinum
forti sequemur pectore.

---

[1]) Ibid. pag. 46 sqq.

Digitized by Google

Quamquam hic non, ut in antecedentibus exemplis, deest altera pars geminatae cuiusdam interrogationis, tamen relicta interrogationis dubiae forma deflectitur oratio in certam voluntatis declarationem[1]). Producenda enim interrogatio dubia erat usque ad verbum quod est *feremus* (v. 11). Sed quia participio quod est *laturi* (v. 9) eadem vis inest atque si diceret Horatius *cum mente certo forti eum ferre possimus* vel *quem mente certo forti ferre poterimus* atque certum iam subest iudicium, versus qui sequuntur in dubio poni nequeunt, praesertim cum illic poeta amplificando de laboribus loquatur etiam maioribus quam sunt ii, quos se simul cum Maecenate suscipere velle dixit antea[2]).

Eundem igitur in modum atque hi quos contuli loci interpretandae sunt Oratoris Tulliani §§ 4—6: *Quodsi quem aut natura sua* [*aut*] *illa praestantis ingenii vis forte deficiet aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum quem poterit; prima enim sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere. An in poetis non Homero soli locus est, ut de Graecis loquar, aut Archilocho aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos. Nec vero Aristotelen in philosophia deterruit a scribendo amplitudo Platonis nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia et copia ceterorum studia restinxit. Nec solum ab optimis studiis excellentes viri deterriti non sunt, sed ne opifices quidem se* ⟨*ab*⟩[3]) *artibus suis removerunt, qui aut Ialysi, quem Rhodi*

[1]) Bene hanc structuram interpretatur Kiesslingius in ed. IV. part. I adnotatione pag. 410: 'H. wollte fortfahren *an fortiter te sequemur*, aber da Maecenas dem *parum firmus* die Kraft, die Strapazen des Feldes zu ertragen, nicht zutraut, so tritt der von Hause aus untergeordnete Gedanke an die Ertragung der Mühsal dem *sequemur* gleichberechtigt zur Seite, ja drängt sich demselben vor.'

[2]) Item, ut hic Horatius, amplificat in enumerando pericula amici gratia subeunda Propertius I, 6, 1—4:

Non ego nunc Hadriae vereor mare noscere tecum,
Tulle, neque Aegaeo ducere vela salo,
Cum quo Rhipaeos possim conscendere montes
Ulteriusque domo vadere Memnonia.

[3]) Quamquam Iordanio (Zs. f. d. Gymn. 5, 550) concedo Tullium aliis quoque locis removendi verbum sine ulla praepositione, sed mero cum

Digitized by Google

vidimus, non potuerunt aut Coae Veneris pulchritudinem imitari . . . . ; quorum tanta multitudo fuit, tanta in suo cuiusque genere laus, ut, cum summa miraremur, inferiora tamen probaremus[1]). *In oratoribus vero, Graecis quidem, admirabile est quantum inter omnes unus excellat; ac tamen, cum esset Demosthenes, multi oratores magni et clari fuerunt et antea fuerant nec postea defecerunt.*

§ 8. E codicibus editur: *Sed ego sic statuo nihil esse in ullo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit, unde illud ut ex ore aliquo quasi imago exprimatur; quod neque oculis neque auribus neque ullo sensu percipi potest, cogitatione tantum et mente complectimur.*

Quod Iohannes Bakius in libello 'De emendando Ciceronis Oratore' inscripto (pag. 38) coniunctionem adversativam *sed* in copulativam *et* corrigendam esse censuit, erravit. Nam illa eodem modo hic posita est, quo § 12: *sed et huius et aliorum philosophorum disputationibus et exagitatus maxime orator est et adiutus*; § 36: *sed in omni re difficillimum est formam . . . exponere optimi*; § 70: *sed est eloquentiae sicut reliquarum rerum fundamentum sapientia*; § 134: *sed iam forma ipsa restat*; § 140: *sed haec nisi collocata . . . ad eam laudem . . . aspirare non possunt*; § 152: *sed Graeci viderint*; § 202: *sed in utroque frequentiores sunt et liberiores poetae*; § 215: *sed sunt clausulae plures*; aliisque permultis locis.

Alia Fridericus[2]) offenditur re, ea scilicet, quod duo cola, quae a relativis *unde* et *quod* pronominibus incipiant, paria inter

---

casu ablativo coniunctum adhibere, hoc tamen loco praepositionem *ab* inter *se* et *artibus* voces a Palatini correctore aliisque concinnitatis causa iure interpositam duco, quia etiam primo in membro ante vocabula quae sunt *optimis studiis* eadem exstat praepositio.

[1]) Mirandi ac probandi verborum tempora in praesentia commutari iubet Normannius; quem secutus est Stanglius. Iniuria tamen. Iure vero Stanglius (cf. Burs. Jb. 84, 351) nunc a Normannio abhorret; nam Tullius de singulis cogitat simulacris. Accedit, quod paulo ante verbis *quem Rhodi vidimus* itinera sua annis 78 et 50 a. Chr. n. in Graeciam facta commemoravit. Sed cf. Pideritii ed. alt. pag. 33 not. 16.

[2]) Fleck. Jb. (1880) 121, 142.

Digitized by Google

se sint posita neque, id quod exspectetur, contraria. Quam ob rem, ut *tamen* particula post *quod* relativum inseratur, suadet; sed iniuria. Neque enim illud *quod* eo loco per se est pronomen relativum, verum stat pro demonstrativo pronomine positum, quod esset *id* eique apposita esset *autem* coniunctio. Eadem sunt igitur illa verba atque: *id autem neque oculis neque auribus neque ullo sensu percipi potest.*

At desidero equidem colligationem quandam inter se duarum huius sententiae partium, praesertim cum in altera verbi genus passivum, in altera inveniatur activum. Qua eadem fortasse causa commoti Heerdegenius in ed. adn. crit. pag. 3 *quoniam* post *quod* infundendum obtulit, Schuetzius in editione sua pronomen *quod* initio alterius partis iteravit scripsitque: *quod neque oculis neque auribus neque ullo sensu percipi potest,* ⟨*quod*⟩ *cogitatione tantum et mente complectimur.* Displicet utrumque. Ergo pro eo quod est *tantum* potius *tamen* nativum habeo, quod in codicibus corruptum sit confusis compendiis *tn̄* et *tm̄*, atque illud *tamen* restitui malo. Probari videtur coniectura mea proximis quae sequuntur verbis: *iis picturis, quas nominavi, cogitare tamen possumus pulchriora.* Ita igitur hanc paragraphum recte se habere existimo: *Sed ego sic statuo . . . exprimatur*; *quod neque oculis neque auribus neque ullo sensu percipi potest, cogitatione tamen et mente complectimur.*

§ 9. Dicit Cicero: ut reliquarum rerum, ita eloquentiae quoque esse ἰδέαν, quam appellat Plato, vel formam speciemve, quibus vocibus ipse vertit vocem Graecam in Latinum sermonem, eamque animo cognosci, effigiem eius auribus non cerni[1]). Quam sententiam his verbis effert: *Ut igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cuius ad cogitatam speciem imitando referuntur ea, quae sub oculos ipsa non cadunt, sic perfectae eloquentiae speciem animo videmus, effigiem auribus quaerimus.*

Plurimis modis maximeque variis hunc locum interpretabantur, permultis coniecturis eum vexabant viri humanissimi, ut iam anno 1864 omnium Oratoris locorum hunc Voll-

[1]) Cf. Or. § 18.

Digitized by Google

behrius appellaret vel pessimam interpretum crucem. Neque inde ab illa usque ad hanc aetatem locum corrigere destiterunt philologi. Nam cum initio Oratoris nonnulli editores codicum scripturam integram in textum, qui dicitur, recepissent, proximis temporibus de illius vitio vix quisquam dubitavit. Ad singulas igitur, quas haec paragraphus provocavit, interpretationes et correcturas transeo pertractandas et examinandas.

Quam in operum Tullianorum editione anno 1826 curata (vol. I pag. 452) Orellius dederat interpretationem praetermitto, quia ipse mox neglexit, cum Henrici Meyeri sententiam suam faceret et in Oratoris editione anno 1830 curata his verbis illustraret: 'Ut igitur in formis et figuris a summis fictoribus pictoribusque elaboratis inest utique aliquid perfectum et excellens (etwas Ideales), quod cogitatione dumtaxat percipitur, et quo ipso artifex, singulas dum formas imitatur (während er darstellt, nicht: nachahmt), exprimere studet *ea quae sub oculos ipsa non cadunt*, id est pulchri ἰδέαν aeternam sibi insitam, quam secutus atque imitatus solum potest efficere illud, quod cogitantibus nobis perfectum apparet in singulis eius operibus contemplandis; nec tamen propterea umquam totum opus vel perfectissimum universam pulchri ἰδέαν amplectitur atque exprimit: sic etiam perfectae eloquentiae ἰδέαν animo videmus, effigiem (die völlige Verwirklichung dieser Idee) nusquam reperimus, sed semper desideramus etiam in optimis eloquentiae exemplaribus'[1]). Ad quae Orellii vel Meyeri bene respondet Franciscus Goeller in ed. Lips. a. 1838 pag. 73 neque *referre aliquo aliquid* esse idem quod *imitari aliquod exemplar* neque referri aliquo dici προπλάσματα, sed horum effigies. Similiter Vollbehrius in libri laudati pag. 5 exponit referendi verbum non idem significare quod exprimendi nisi in poetarum et inferioris aetatis scriptorum usu, cuius exempla attulerit Otto Iahnius Vergilii Aeneidos l. XII, 348: *Eumenides nomine avum referens, animo moribusque parentem* et Livii l. X, 7, 3: *Rettulisse dicitur Decius parentis sui speciem, qualem eum multi, qui in contione erant,*

[1]) Eadem fere Otto Iahnius protulerat in prima Oratoris editione, sed in altera secutus est Victorium, cuius de opinione statim agetur.

Digitized by Google

viderant[1]). Illo autem usu, quo *referre ad* aliquid revocare suam ad normam, legem, genus significet, apud Ciceronem nihil esse frequentius, ut vel in De finibus libris sescenta legantur huius constructionis exempla[2]). Haud alia forsitan senserit Baehrensius, qui in Rev. de phil. X, 76 se una solaque voce *referuntur* offendi et pro ea *proferuntur* (scil. ab artifice) reponere dicit. At remanent duo, quorum alterum affert Fr. Goeller l. l. acutissime disserens: Ex § 10 verbis *has rerum formas appellat* ἰδέας patere formas et figuras non esse opera ab artificibus elaborata, cum illa Tullius effigies, at ἰδέας constanter formas, figuras, species nominet. Alterum Vollbehrius l. l. opposuit. Si enim *ea quae sub oculos ipsa non cadunt* ἰδέαν significaret pulchri, quoniam plurali numero certius quiddam significari videtur, singularis potius esset exspectandus, ut legeretur: *id quod sub oculos ipsum non cadit.*

Beieri quoque argumentationem praetereo, cum nihil prosit rei, sed inducat errorem, quasi non ad ideam res, verum idea ad rem referatur[3]). Porro C. Peter et G. Weller in editione anno 1838 communiter curata (pag. 101) vertendo hunc locum sic illustraverunt: 'So wie es in der Skulptur und Malerei ein Ideal gibt, welches das Muster für alles liefert, was sich in der Wirklichkeit nicht vorfindet (*quae sub oculos non cadunt*): so muß es auch in der Beredsamkeit sein. Das Letztere drückt er aber so aus: Ebenso haben wir, d. h. alle Redner, welche sind, wie sie sein sollen, ein gedachtes Ideal in unsrer Seele, das Ohr gibt uns nur zuweilen einen Abglanz dieses Ideals. In *quaerimus* liegt von selbst, daß dieser Abglanz nur selten und zerstreut zu finden ist; quaerere heißt zuweilen geradezu vermissen'[4]). Hic suo iure quaerat quispiam, quo modo ea,

[1]) Ne in illis quidem exemplis *referre* idem est atque *exprimere*, immo verbum proprio sensu adhibetur, qui est apud Vergilium: 'Eumenides nomine refert mortuum avum', apud Livium: 'Decius specie refert mortuum parentem' (scil. in mundum: er bringt zurück).

[2]) Cf. etiam Or. 159; 162; De or. I, 142; III, 111; Brut. 5; De leg. I, 20; 46; 52; II, 8.

[3]) Vollbehr, l. l. pag. 5 sq. et Goeller, ed. pag. 73.

[4]) Re vera saepissime quaerendi verbum κατ' ἐξοχὴν adhibetur, ut opponatur inveniendi verbo, quasi sit *frustra quaerere*, quod idem

Digitized by Google

quae sub oculos non cadunt, referenda sint ad id, quod sub oculos non cadit, ad ideam videlicet, quid attineat, quantum intersit[1]). Immo vero *et Phidiae simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus et iis picturis, quas nominavi* — simulacra et picturae sub oculos cadunt! — *cogitare tamen possumus pulchriora* — quae sub oculos non cadunt. Illa autem, quae sub oculos cadunt, simulacra scilicet et picturas, referri ad haec pulchriora, quae cogitari possunt, sub oculos non cadunt, Cicero dicit hisce verbis: *Nec vero ille artifex, cum faceret Iovis formam aut Minervae* (als er die ideale Vorstellung von Jupiter und Minerva in die Erscheinung zu bringen suchte) *contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens in eaque defixus ad illius* (scil. formae Iovis, non pulchritudinis) *similitudinem artem et manum derigebat.* Id est: Iovis et Minervae simulacra — quae sub oculos cadunt — revocata sunt ad normam speciei pulchritudinis — quae in mente tantum insidet artificis, sub oculos non cadit. Ergo vera esse mihi videtur interpretatio, quam huiusce modi protulit Iahnius in ed. alt. pag. 38: '*quae sub oculos cadunt*: das, was der Künstler den Sinnen wahrnehmbar hervorbringt, indem er seine Darstellung auf das nur mit dem Geist zu erfassende Vollkommene richtet. Ciceros Gedanke ist: In der bildenden Kunst wie in der Beredsamkeit gibt es ein Höchstes, Vollendetes, das in der Wirklichkeit nicht existiert, sondern nur in der Seele des Künstlers lebendig ist, welcher demselben durch die künstlerische Darstellung die sinnliche Existenz zu geben bestrebt ist'. Qui igitur attenderit animum ad ea, quae explanavi, concedet, spero, nullum esse hic locum negationi. Itaque iam olim Victorius in Var. lect. XI, 14 delevit eam sic interpretatus locum: '*quae sub oculos ipsa cadunt*, id est τὰ ὁρατά, referuntur ad speciem illam cogitatam, cuius ipsa tamquam imago sunt: cogitatam enim

Graeci ζητεῖν dicunt. Conferantur Or. 226; Brut. 217; De fin. II, 13; Verr. III, 47; Taciti Agric. 40; Ovidii Met. II, 239; Tibulli l. II, 3, 26.

[1]) Simile quiddam occurit Pideritii opinioni in Eois vol. I, 401 sqq. expositae et Nixonii a Sandysio in edit. Cantabr. pag. 11 relatae.

Digitized by Google

speciem vocat ἰδέαν νοητήν, id est quae cogitatione et mente percipitur: eodem modo ideam eloquentiae mente complectimur, effigiem vero ipsius auribus sentimus'[1]).

Sed vocabulo *non* exstincto delendum est etiam *ipsa* pronomen, id quod iam vidit Gellius[2]). Nam pessime pronomen defenderunt C. Beier, qui quas attulerit causas in Vollbehrii libro laudato (pag. 8) videas, et Fr. Goeller in ed. pag. 72 hoc exemplo nisus e Ciceronis ep. ad fam. XV, 16 sumpto: *His autem spectris* (εἰδώλοις) *etiamsi oculi possunt feriri, quod iis vel ipsa accurrunt* — id est: vel sua sponte, etiamsi de iis nolis cogitare — *animus qui possit, ego non video.* Eadem ratione semel usus est eodem pronomine Lucretius, cuius in quinto libro inde ab 1146 hi leguntur versus: *Nam genus humanum defessum vi colere aevum | ex inimicitiis languebat, quo magis ipsum | sponte sua cecidit sub leges artaque iura.* At num hic dicere potuit Cicero: *ea quae ipsa sua sponte sub oculos cadunt*? Vix meliorem esse Ioh. Bakii interpretationem[3]) censeo, qui *ipsa* illud posuisse Tullium declarat Platonis quasi imitatione, qui distinguat inter αὐτό et αὐτά, veluti in Phaedone pag. 74 BC. Distinctionem enim tam subtilem et e media philosophia petitam hic tam abrupte a Cicerone proferri potuisse iure negavit Vollbehrius. Accedunt duo alia: primum quod *cogitatae speciei* contrarium iam vocibus *sub oculis* contineatur, alterum, quod his verbis expressit Pideritius in Eois vol. I, 401: '*ipsa* so gestellt wie hier verlangt gebieterisch die Negation nach sich' et pag. 402: 'abgesehen von der falschen Stellung von *ipsa*, das dann hinter *cadunt* stehen sollte'.

Gerundium denique *imitando* ipsum quoque Bakio suspectum bene defenditur ab eodem Pideritio, ut erat acri ingenio, in ed. alt. pag. 35 disserente: 'Das innere, vor den Augen des Geistes schwebende Idealbild ist das Muster, nach dem der Künstler mittels künstlerischer Nachbildung (μιμεῖ-

---

[1]) Quaerendi verbum Victorium fefellit: effigiem auribus sentiremus, si essent oratores satis perfecti.

[2]) Ad Dion. Chrys. pag. 88.

[3]) L. l. pag. 38.

Digitized by Google

cθαι) [das] darstellt, [was als solches in der Sinnenwelt nicht da ist]'[1]). Defenditur gerundium etiam his locis collatis[2]): Brut. 70: *quis enim eorum, qui . . . imitentur veritatem* e. q. s.; Quintil. I, 1, 5: *verba effingere imitando*; De or. II, 90: *tum accedat exercitatio, qua illum, quem delegerit, imitando effingat atque exprimat*; eiusdem libri § 96: *hanc igitur similitudinem qui imitatione assequi volet, cum exercitationibus crebris atque magnis tum scribendo maxime persequatur*; De nat. deor. l. II, 81: *cuius sollertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando.*

Quid igitur Tullius hac sententia eloqui velit, satis me explanavisse reor, ut optime et clarissime sic eam legi concedas: *Ut igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cuius ad cogitatam speciem imitando referuntur ea quae sub oculos [ipsa non] cadunt, sic perfectae eloquentiae speciem animo videmus, effigiem auribus quaerimus* vel ut vertendo illustretur: 'Wie es also in den bildenden Künsten etwas Vollkommenes und Vollendetes gibt, nach dessen Idee sich in der Nachahmung das richtet, was in die Erscheinung tritt, so sehen wir zwar im Geiste die Idee (das Urbild) vollendeter Beredsamkeit, suchen jedoch vergebens mit den Ohren nach dem Abbilde'.

At quo modo vocabula *ipsa non* in textum irrepserunt? Barzizium ea, nescio qua de causa, interpolasse pro certo est habendum. Seclusis autem illis vocabulis locum sanum esse vidimus. Nectamen plane omitto, quae singuli homines docti obtulerint. Heerdegenius quidem in ed. proleg. pag. XXX pro *ea quae* pronominibus potius una *eaque* voce scripta et pro plurali verbi numero potius singulari restituto veram Tullii scripturam evadere opinatur et paragraphum sic interpretatur: '*Ut igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cuius ad cogitatam speciem imitando referuntur* (scil. formae et figurae), *eaque* (scil. species) *sub oculos*

[1]) Notae alteram partem, quam uncis inclusi, bene refellit Fridericus in Fleckeis. annal. vol. 123, 182.

[2]) Primum et secundum locum attulit Fridericus in Fleckeis. annal. vol. 123, 181, ceteros Vollbehrius l. l. pag. 9 sq.

Digitized by Google

ipsa non cadit, *sic* e. q. s'. Sed quamquam ex illis, quae ut scribamus admonet, verbis, si nativa fuissent, facillime ea, quae in codicibus inveniuntur, oritura fuisse nemo negat, tamen quo Heerdegenius vult modo locum sanum fieri nemo sibi persuadebit[1]). Obstat enim, quod priore in membro *formae et figurae* nomina artem, in posteriore autem opera artis significare deberent. Quodsi Vollbehrii coniecturam: *quae sub oculos*, *ipsa non* ⟨*cadente*⟩, *cadunt*[2]) vel Friderici, quam in Fleckeis. annal. (a. 1881) vol. 123, 183 commendavit, *quae sub oculos cadunt*, *ipsa non cadit* comprobaveris, vereor, ne nimis magno enuntietur sono id, quod utpote omnibus notum vix dici oportet: ἰδέαν sensibus non cerni.

§ 10. Pergit Cicero: *Has rerum formas*[3]) *appellat* ἰδέας *ille non intellegendi solum*, *sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister Plato*, *easque gigni negat et ait semper esse ac ratione et intellegentia contineri*; *cetera nasci occidere*, *fluere labi*, *nec diutius esse uno et eodem statu.*

Sic hanc paragraphum proxime ad codicum scripturam edidit Heerdegenius, sed ante vocem *fluere* posuit notam illam philologiae crucem. Quod ut faceret, commotus est dissertatione et coniectura Friderici, quamvis acuta, tamen, ut leniter dicam, non vera. Is enim in annalium a Fleckeisenio editorum vol. 111 pag. 857 talia fere exposuit: Tullium haec Oratoris verba composuisse de Platonis Convivii pag. 211 AB recordatum, ubi leguntur (211 A): πρῶτον μὲν ἀεὶ ὂν καὶ οὔτε γιγνόμενον οὔτε ἀπολλύμενον οὔτε αὐξανόμενον οὔτε φθῖνον vel (211 B) οἷον γιγνομένων τε τῶν ἄλλων καὶ ἀπολλυμένων μηδὲν ἐκεῖνο μήτε τι πλέον μήτε ἔλαττον γίγνεσθαι μηδὲ πάσχειν μηδέν. Et quamquam Cicero saepius Heracliteam vocem ῥεῖν

[1]) Rubner, W. f. kl. Ph. II, 1009 totum colon *ea quae . . . cadunt* ut glossema tolli iussit; Thomasius, Rev. crit. (1886) 39, 146 Heerdegenii correcturam obscuram neque admittendam iudicat; Fridericus in Philol. vol. 44, 668 ut minus idoneam repudiat eam; Stanglium, quamquam eam olim (DLZ. V, 1823) comprobavit recepitque editione sua, nunc ipsum quoque eam reicere ex Burs. annal. 84, 355 accipimus.

[2]) Cf. Or. 81: *quod verbis mutatis non maneat manente sententia.*

[3]) Cf. De off. I, 15.

Digitized by Google

Latine verteret fluendi aut labendi verbo, certe hoc loco ambo coniunctim posita esse se mirari, quia nascendi et occidendi verba contraria sibi opponerentur. Ut igitur *occidere* idem esset ac Platonis ἀπόλλυσθαι, cui apud Ciceronem *nasci* eodem modo contrarium appareret quo apud Platonem γίγνεσθαι, sic proxima quoque duo verba Tullio inter se opponenda fuisse haud aliter ac posuisset Plato αὐξάνεσθαι et πλέον γίγνεσθαι contraria illis quae sunt φθίνειν et ἔλαττον γίγνεσθαι. Ergo se *affluere labi* scribenda esse opinari. Alterum autem verbum corrigere maluit Baehrensius[1]). Fluendi enim quoniam verbo inesset prolabendi notio, ex contrario recte fore positum putavit, id quod syllaba repetita evaderet, *relabi*, ut scribendum esset *fluere relabi*. Quodsi fluendi verbo inest notio prolabendi et labendi verbo, id quod Friderico videbatur, inest notio relabendi, quid nobis est, cur corrigamus? Accedit, quod in Augustini De vera religione l. § 3 (Migne)[2]) plane eadem verba inveniuntur eodem modo coniuncta, cum ibi legantur: *sanandum esse animum ad intuendam incommutabilem rerum formam et eodem modo semper se habentem atque undique sui similem pulchritudinem nec distentam locis nec tempore variatam, sed unum atque idem omni ex parte servantem, quam non crederent esse homines, cum ipsa vere summeque sit: cetera nasci occidere, fluere labi.* Conferri denique potest Philipp. IV, 13: [*Quamquam*][3]) *alia omnia fluxa*[4]) *incerta sunt, caduca mobilia: virtus est una altissimis defixa radicibus, quae numquam vi ulla labefactari potest, numquam demoveri loco.* In hisce enim verbis perbene respondent inter se: *alia omnia fluxa incerta sunt*

---

[1]) Rev. de phil. X, 76.

[2]) Illum locum Reitzensteinius mihi ostendit et observationem suam utilissimam, qua est liberalitate, in usum meum convertere permisit.

[3]) *Quamquam*, quod est in codicibus, summo iure resecuit Clarkius Kaysero Madvigioque auctoribus.

[4]) *Fluxa* coni. P. R. Mueller in Philol. IX, 186: *quamquam alia omnia falsa incerta sint* cod. V, *quamquam alia omnia incerta sunt* cod. D. Muelleri vero coniecturam P. Lutzius, sodalis atque amicus meus, in dissertatione inaugurali, quae inscribitur: Quaestiones criticae in Ciceronis orationes Philippicas, Schlettstadt 1905, (pag. 68 sq.) adeo commendavit, ut recipere non verear.

Digitized by Google

atque *virtus est una altissimis defixa radicibus*, deinde (*alia omnia sunt*) *caduca* ac (*virtus una*) *numquam vi ulla labefactari potest*, tum (*alia omnia sunt*) *mobilia* et (*virtus una potest*) *numquam demoveri loco.* Eodem modo hac in Oratoris paragrapho fluendi et labendi verba ut synonima adhibentur neque alio atque in Ciceronis ipsius Acad. l. I, 31: *continenter laberentur et fluerent omnia.* Quibus de causis equidem totum locum sanissimum esse arbitror eumque iniuria corrigere voluisse et Fridericum et Baehrensium.

§ 12. In libris manu scriptis exstant haec: *Sed et huius* (Platonis scilicet) *et aliorum philosophorum disputationibus et exagitatus maxime orator est et adiutus*; *omnis enim ubertas et quasi silva dicendi ducta ab illis est nec satis tamen instructa ad forenses causas*; *quas*, *ut illi ipsi dicere solebant*, *agrestioribus Musis reliquerunt.*

Nemo adhuc istis offendebatur, proxime ad codices paragraphum omnes ediderunt. Atque qua ratione ubertas dicendi instructa non esse dicatur ad causas forenses, interpretari conatur Sandysius in ed. Cantabr. pag. 14. Adiectivum enim *instructus* idem fere sentire docet ac *perpolitus* et testimonium advocat De or. l. II, 54: *Sed iste ipse Coelius neque distinxit historiam varietate locorum neque verborum collocatione et tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus, sed ut homo neque doctus neque maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit.* At dubius haereo, num tali sensu aliquid dici possit *instructum.* Accedit aliud: pessime per particulam *tamen* opponi mihi videntur verba: *non satis instructa ad forenses causas* membro quod antecedit: *omnis ubertas dicendi ducta ab illis est.* Qua re ut sententia, quae minor exstat in libris, gravior fiat, verba: *omnis enim ubertas et quasi silva dicendi ducta ab illis est* in parenthesi [1]), quae dicitur, stare iubeo et adiectivi *instructus* masculinam formam restituo, quam ad oratorem refero. Scribenda ergo sunt: *Sed et huius et aliorum philosophorum disputationibus et exagitatus maxime orator est et adiutus — omnis enim ubertas et quasi silva dicendi ducta ab illis est —*

[1]) Cf. Oratoris §§ 47, 162, 198.

Digitized by Google

nec satis tamen instructus ad forenses causas; quas, ut illi ipsi dicere solebant, agrestioribus Musis reliquerunt. Instructum enim oratorem esse debere a philosophis cum aliis permultis locis tum Oratoris § 118 legimus: *Nec vero a dialecticis modo sit instructus, sed habeat omnes philosophiae notos ac tractatos locos*[1]).

§ 16. Sine philosophia non posse effici quem quaerat eloquentem, sed ei omnes illius disciplinas diligenter pertractandas esse Cicero docet et breviter §§ 14—16 et copiosius §§ 113—119. Philosophiae enim quasi e finibus ei, qui perfecte eloquentis gloriam appetat, adsumendas esse contendit (§ 15) et de rerum natura doctrinam[2]), qua uber in dicendo et fecundus fiat, et psychologiam, quam dicimus, qua fiat narus, quibus orationis modis quaeque animorum partes impellantur. Cognoscendam ei esse dialecticam quoque addit (§ 16 in.), sine qua neque genus aut speciem cuiusque rei cernere neque eam definiendo explicare nec tribuere in partes possit nec iudicare, quae vera, quae falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre[3]), ambigua distinguere. Restat, ut de philosophiae parte morali loquatur, et enumerat nonnullas quaestiones, de quibus nullus orator satis digna possit proferre, nisi qui frequens philosophorum fuerit auditor. Quae in codicibus sic leguntur: *Quid dicam de natura rerum, cuius cognitio magnam orationis* [*orationis* L, *orois* postrema littera obelo transfixa ϵ] *suppeditat copiam, de vita, de officiis, de virtute, de moribus sine multa earum ipsarum rerum disciplina aut dici aut intellegi posse?* Tam huius similis est § 118, ut eam adscribam: *Nihil enim de religione, nihil de morte,*

[1]) Cf. etiam Or. § 20: *ad permovendos et convertendos animos instructi et parati*; § 4: *aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis.*

[2]) *Quod is Anaxagorae physici fuerit auditor, a quo censet eum cum alia praeclara quaedam et magnifica didicisse tum* (hanc Schuetzii coniecturam amplector) *uberem et fecundum fuisse narumque* e. q. s.

[3]) Quod Sauppius in Tullianis (Ausgew. Schr. pag. 549) coniecit *vitare* valde mihi displicet, quia omnia haec verba cernendi et intellegendi sunt.

Digitized by Google

nihil de pietate, nihil de caritate patriae, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de virtutibus aut vitiis, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de voluptate, nihil de perturbationibus animi et erroribus, quae saepe cudunt in causas et ieiunius aguntur, nihil, inquam, sine ea scientia, quam dixi, graviter, ample, copiose dici et explicari potest.

In utraque paragrapho exponit scriptor, quam ἠθική, quae Graece dicitur, oratori suppeditet facultatem de officiis similibusque rebus graviter dicendi. Atque adeo non obscurus est ipsius, de qua agimus, § 16 sensus, ut eam emendatione egere maxime perspicuum sit, quamquam ipsa orationis forma dubia esse debebat. Cum enim contraria sit vera Ciceronis sententia ei opinioni, quam praebet codicum scriptura, Kayser ante voces *sine multa* particulam *non* excidisse autumavit. Dissentit ab eo Sauppius et in dissertatione, quae Tulliana inscripta et indici schol. hibern. Gotting. a. 1867 adiecta est[1]), pro sua doctrina praeclarissime haec fere explanat: Quod Kayser velit, non convenire sermonis Latini legibus, sed dicendum esse: *Quid dicam de natura rerum . . . sine multa earum ipsarum rerum disciplina neque dici neque intellegi posse?* Ac ne id quidem ferri facile posse, cum *intellegi* non addito accusativo subiecti, quem vocamus, dici non posse videatur. Nam *quid* illud, quod ab initio periodi positum est, priores quidem cum infinitivis *dici* et *intellegi* coniunxisse, Kayserum autem potius ex eo, quod proxime sequitur, verbo *dicam* pendere voluisse, ut etiam hoc loco agnosceret notissimam illam praeteritionis formulam[2]) *quid dicam?* Contra Sauppius ipse nos scribere iubet: *Ecquid dicam de natura rerum . . . sine multa earum ipsarum rerum disciplina aut dici aut intellegi posse?*[3]) Nonnullas alias statim coniecturas enumero, quibus idem vitium inest quod verbis a Sauppio propositis. Schenklius[4]) quidem

[1]) Pag. 11 sq. vel Ausgew. Schr. pag. 547 sq.

[2]) Praeteritionis formulam Sauppius l. l. sic definit: 'Illa rem aliquam tam gravem, tam perspicuam esse Romani significant, ut de ea aut accuratius explicari non opus esse aut, quibus id verbis aptissime fiat, haud facile inveniri posse intellegamus'.

[3]) Cf. quid Schenklius respondeat in Zs. f. ö. Gymn. (1870) vol. 21, 625.

[4]) Ibidem.

Digitized by Google

haec scribenda commendavit: *Quid dicam de natura rerum ... de moribus, ⟨de quibus nihil⟩ sine multa earum ipsarum rerum disciplina aut dici aut intellegi potest*? Stanglius locum edidit ita: *Quid* [*dicam*]? *De natura rerum ... sine multa earum ipsarum rerum disciplina aut dici aut intellegi potest*? [1]) Vollbehrius genuina fuisse opinatur [2]): *Quid dicam de natura rerum ... de moribus*? *Sine multa earum ipsarum rerum disciplina aut dici ⟨illa⟩ aut intellegi posse*? [3]) In Wilkinsii denique nova editione lego: *Quid dicam de natura rerum ... de moribus*? ⟨*Satisne*⟩ [4]) *sine multa earum ipsarum rerum disciplina aut dici aut intellegi potest*? Omnibus istis coniecturis obstat, quod Tullio iam fusius de natura rerum locuto hic distinguenda sunt ea, quae antea dixit, ab eis, quae nova prolaturus est. Qua re cognita incisum desidero post vocem *copiam* [5]) neque amplificationis [6]) formulam fero, quam e libris manu scriptis receptam respuit sententiarum nexus, neque vero, quam Sauppius vult, praeteritionis restituo formulam, quae vocabulo *plura* post pronomen *quid* inserendo efficitur vel potius praepositionis loco cum ablativo coniunctae accusativo scribendo: *quid dicam naturam rerum*? [7]) Neutrius formulae hic est locus, quoniam Tullius iam locutus est *de natura rerum*. Nullam igitur nisi revocationis formulam hic fero, qua efficitur, ut scriptor longius disserens difficultatem sine philosophia de rebus physicis digna proferendi se revocet, ut ne de coti-

---

[1]) Verborum quae sunt *dici* et *intellegi* subiectum quoddam desidero.

[2]) Ad Or. Tull. symb. crit. pag. 11 sqq.

[3]) Ad eam opinionem perductus est Vollbehrius collato De leg. l. I, 50: *Quid vero de modestia, quid de temperantia, quid de continentia, quid de verecundia, pudore pudicitiaque dicemus? Infamiaene metu non esse petulantes, an legum et iudiciorum*? At ibi interrogandi particulis verbi iterationem multo faciliorem fieri neglexit.

[4]) *Satisne* illud Wilkinsius accepit e Reidii, de quo statim dicetur, proposito.

[5]) Primus hic incidit Schuetzius in ed. pag. 156.

[6]) Amplificationis et praeteritionis formulas sui similes distinguendas esse bene docuit Maur. Seyffertius in Schol. Latin. I, 46 sqq.

[7]) Facillime enim corruptela potuit oriri eo, quod ob proxima: *de vita, de officiis, de virtute, de moribus* scripsit aliquis etiam *de natura rerum*.

Digitized by Google

dianis quidem quaestionibus sine illa disciplina bene agi posse dicat. Nihil ergo nisi dicendi verbi modus est corrigendum; sententiae initium recte se habet, dum legas: *Quid dico de natura rerum?*

Aliam, cur post vocem *copiam*, id quod volo, incisum fieret, causam attulit Pideritius in Eois symbolis (I, 405) haec disceptans: 'Dazu kommt noch, daß *sine multa earum ipsarum rerum disciplina* nur auf die ethischen Fragen, aber nicht zugleich auf die Gegenstände der Metaphysik, der *cognitio* (*naturae*) *rerum* geht, also auch nicht so mit *quid dicam de natura rerum* in einen Satz zusammengefaßt werden kann. Es werden die drei Teile: Dialektik, Physik und Ethik von einander unterschieden und dieser dritte Teil als völlig unerläßlich mit besonderem Nachdruck hervorgehoben; vgl. 118; de or. I, 68 f.' Et quoniam hoc incisum necessarium esse cognoverant — Wilkinsius vero nondum cognovit — plurima atque inter se dissimillima scribenda protulerunt viri humanissimi [1]), ut Pideritius in Eois symb.: *Quid dicam de natura rerum, cuius cognitio magnam orationis suppeditat copiam? ⟨Nam⟩ de vita ... sine multa earum ipsarum rerum disciplina ⟨nihil⟩ aut dici aut intellegi potest*; H. Deiter, Philol. 44, 352: *Quid dicam ... copiam? ⟨An⟩ de vita ... aut dici aut intellegi potest?* [2]) A. Eussner, L. C. 1886 pag. 511: *Quid dicam ... copiam? De vita ... de moribus ⟨nihil⟩ sine ... disciplina aut dici aut intellegi potest* [3]); Bakius, De emend. Cic. Or. pag. 40: *Quid dicam ... copiam? De vita ... de moribus ⟨quidquamne⟩ sine ... disciplina aut dici aut intellegi potest?* Nixonius [4]): *Quid dicam ... copiam? ⟨Iam⟩ de vita ... sine ... disciplina ⟨nihil⟩ aut dici aut intellegi potest*; Sandysius in ed. Cantabr.: *Quid dicam ... copiam? ⟨Quid⟩ de vita ... de moribus, ⟨de quibus nihil⟩ sine ... disciplina aut dici aut intellegi potest?* Reidius [5]): *Quid dicam ... copiam? ⟨Quid⟩*

---

[1]) Sane plerique nimis a codicum scriptura recedunt.

[2]) Hic quoque subiecti nominativus deest.

[3]) Desidero sententiarum quandam colligationem.

[4]) Nixonii et Reidii coniecturas ex editione Cantabr. cognovi.

[5]) Reidio acclamat Heerdegenius, B. ph. W. (1887) 7, 909, coll. De leg. I, 50.

Digitized by Google

de vita ... de moribus? ⟨Satisne⟩ sine ... disciplina aut dici aut intellegi potest?

Nectamen illorum toto e numero cuiquam assentiri audeo, cum omnibus illis, quos nominavi, viris doctis ex codicum scriptura aequo plura sint mutanda. Nam praeter genuinam revocationis formulam restituendam una tantum lacuna aegrotare videtur hic locus atque excidisse primum aliquod verbum, unde pendeat infinitivus *posse*, deinde subiectum accusativi, qui vocatur, cum infinitivo, tum fortasse etiam verbi inserendi subiectum et interrogationis aliqua particula. Quali fere modo lacunam manifestam expleverunt L. Havetius, Rev. de phil. X, 155: *Quid dicam ... copiam? ⟨Anne credemus quippiam⟩ de vita ... aut dici aut intellegi posse?* Baehrensius, Rev. de phil. X, 76: *Quid dicam ... copiam? ⟨Nihil porro constat⟩ de vita ... aut dici aut intellegi posse*; H. Muther, W. f. kl. Ph. III, 1221: *Quid dicam ... copiam? ⟨Denique quid putabimus⟩ de vita ... aut dici aut intellegi posse?* Sed nulla prorsus placet coniectura. Itaque ipse haec scribenda offero: *Quid dico de natura rerum, cuius cognitio magnam orationis*[1]) *suppeditat copiam? De vita, de officiis, de virtute, de moribus ⟨quidquamne quisquam putat⟩ sine multa earum ipsarum rerum disciplina aut dici aut intellegi posse?*

§ 20. Tria esse omnino genera dicendi disserit Tullius, quibus in singulis[2]) quidam floruerint, peraeque autem in omnibus perpauci. Atque de gravi dicendi genere et de tenui haec facit verba: *Nam et grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt cum ampla et sententiarum gravitate et maiestate verborum, vehementes, varii, copiosi, graves, ad permovendos et convertendos animos*

[1]) Genetivi *orationis* in locum Schuetzius (ed. pag. 156), Sauppius (Ausg. Schr. pag. 548), Fridericus (Fl. Jb. 111, 857 et Philol. 44, 669), Muther (W. f. kl. Ph. III, 1196) dativum *orationi* substitui iubent — Stanglius (Bl. f. b. G. 23, 96) ad Laudensem redit — Ernestius etiam *oratori* coniecit. At defenditur genetivus plurimis testimoniis, ut Or. 209; De or. II, 347; III, 104; Tusc. III, 54; Cat. M. 42; div. in Caec. 21; Quint. XI, 39 aliisque permultis; qua de re grammatica pauca explicuit Tischer ad Tusc. III, 54.

[2]) Superfluum est Stanglio auctore post *singulis* interpolare *singuli*.

Digitized by Google

instructi et parati, quod ipsum alii aspera, tristi, horrida oratione neque perfecta atque conclusa, alii levi [*levi* π ε *leni* L] *et structa et terminata; et contra tenues, acuti, omnia docentes et dilucidiora, non ampliora facientes, subtili quadam et pressa oratione limati, in eodemque genere alii callidi, sed impoliti et consulto rudium similes et imperitorum, alii in eadem iciunitate concinniores, idem faceti, florentes etiam et leviter ornati.*

Est haec sententia haud melius intellecta quam tot aliae Oratoris nec minus pessimis coniecturis vexata. Nec vero plane sanam eam esse dico, quamquam non dubito, quin iniuria pluribus rebus offendantur viri docti. Primum igitur defendere ac probare conor codicum scripturam, quoad necesse est. Particulam enim *atque* ob eam quae proxime antecedit *neque* ipsam quoque in eandem correxerant plerique ante Heerdegenium editores, Zumptii schola Latina (§ 781) advocata [1]). Eandem habet coniunctionem, e librarii videlicet arbitrio ortam, codex ε [2]); eandem, quamquam Heerdegenii, Stanglii, Friderici consensu codicis L lectio erat probata, denuo in editionem suam recepit Sandysius [3]). Sed summa iniuria. Nam perbene tali ratione coniunctionem *neque* ante duo membra particula *atque* arte vincta poni posse sescenta nos docent exempla. Quorum nonnulla afferantur: Brut. 276: *Nec erat ulla vis atque contentio*; ibidem § 325: *sententiis non tam gravibus et severis quam concinnis et venustis*; De or. l. II, 54: *Sed iste ipse Coelius neque distinxit historiam varietate locorum neque verborum collocatione et tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus, sed ... sicut potuit, dolavit*; Caesaris B. G. VII, 30, 1 (Kübler): *Fuit haec oratio non ingrata Gallis, et maxime quod ipse animo non defecerat tanto accepto incommodo neque se in occultum abdiderat et conspectum multitudinis fugerat.* Simili modo iuncta sunt nomina particulis *et-et*, cum antecedat coniunctio *ne*, ut De off. I, 42: *Videndum est enim, primum ne obsit benignitas et iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, et ceteris, deinde ne* e. q. s. [4])

---

[1]) Peter-Weller, ed. pag. 107.

[2]) Id affirmat Heerdegenius in Mus. Rhen. vol. 38 pag. 123.

[3]) Wilkinsius redit ad Laudensem.

[4]) Bene ad illum locum adnotavit P. Dettweiler in commentatione

Digitized by Google

vel Quintil. X, 2, 19 (Bonnell): *Ne cui tenue ingenium erit, sola velit fortia et abrupta*; *cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis et vim suam perdat et elegantiam quam cupit non assequatur*; vel eiusdem l. III, 8, 70: *Ne aliter ... exerceri velint et in desuescendis morentur.* Nec peius leguntur ea, quae in ipsius Oratoris § 14 exhibent codices: *Nam nec latius atque copiosius de magnis variisque rebus sine philosophia potest quisquam dicere*; ... *nec vero sine philosophorum disciplina genus et speciem cuiusque rei cernere ... possumus* e. q. s.

Quid? consequendi verbi sive imperfectum sive perfectum num meliore iure immiserunt editores? An verius omnino viderunt C. F. W. Mueller[1]), Stroebelius[2]), Stanglius[3]), Fridericus[4]), qui ullum verbum inseri vetant, hosce potius conferri iubent locos[5]): Oratoris § 151: *in quo quidam Theopompum etiam reprehendunt, quod eas litteras tantopere fugerit, etsi idem magister eius Isocrates*[6]); Bruti § 66: *Nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis cum brevitate tum nimio acumine, officit Theopompus elatione atque altitudine orationis suae, quod idem Lysiae Demosthenes, sic Catonis luminibus obstruxit haec posteriorum quasi exaggerata altius oratio*; eiusdem libelli § 295: *Paulum hic tibi assentior, modo ita laudes,*

---

scholarum in usum conscripta (pag. 25): 'Die Abweichung von der Regel scheint dadurch begründet zu sein, daß durch *aut-aut* die besondere Bedeutung der Partikeln *et-et*, verschiedene, aber zugleich vorhandene Dinge zu verbinden, verloren gegangen sein würde. Cicero will eben hier verhüten, daß die beiden Möglichkeiten zugleich eintreten'.

[1]) Comm. ad Cic. De off. l. III, 109.

[2]) N. ph. Rdsch. 6, 8.

[3]) Stanglium quoque, qui in editione interiecerat *consequebantur*, proxima aetate ab illa esse parte ait Stroebelius in Burs. ann. 84, 353.

[4]) Ed. adn. crit. pag. LX.

[5]) Huc pertinet etiam Or. § 32: *Huius* (sc. Thucydidis) *tamen nemo neque verborum neque sententiarum gravitatem imitatur, sed, cum mutila quaedam et hiantia locuti sunt, quae vel sine magistro* [*facere*] *potuerunt, germanos se putant esse Thucydidas.* Recte enim iudicavit Baehrensius in Rev. de phil. X, 76 aut auctore Heerdegenio *quae* in *quod* esse immutandum aut potius eiciendum esse ineptum emblema *facere*, quod ab eo esset adiectum, qui sine negotio cogitando adsumi *loqui* haud perspexisset; cf. notam quae proxime sequitur.

[6]) Quod enim exhibent AO²: *fecerat*, spurium est.

Digitized by Google

ut antiquas; *quod item de Africano, de Laelio, cuius tu oratione negas fieri quicquam posse dulcius*; De off. l. III, 109: *Atque huius deditionis ipse Postumius, qui dedebatur, suasor et auctor fuit. Quod idem* (i. e. deditionis suae suasor et auctor fuit) *multis annis post C. Mancinus.* Eodem enim pacto hisce locis positum est: *quod idem*, quo adhiberi solet *idque*, ut De off. l. II, 65: *Quam quidem ante hanc confusionem temporum in possessione sua principes retinuerunt* (iuris scilicet civilis cognitionem atque interpretationem), *nunc, ut honores, ut omnes dignitatis gradus, sic huius scientiae splendor deletus est, idque eo indignius, quod* etc. Sed conferas etiam De fin. l. V, 83: *Ut in geometria, prima si dederis, danda sunt omnia. Concede nihil esse bonum, nisi quod honestum sit, concedendum est in virtute positam ⟨esse⟩ vitam beatam. Vide rursus retro. Dato hoc dandum est illud. Quod vestri non item.* Nec tamen nominativus antecessit, cui opponeretur is qui est: *vestri*; sed eadem ille cum libertate positus est atque is, qui cum comparationis particula *ut* iunctus exstat in De off. l. I, 21: *Sunt autem privata nulla natura, sed aut vetere occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoria, ut qui bello potiti sunt, aut lege, pactione, condicione, sorte*; vel eiusdem in libri § 33: *Quo in genere* (scil. ex malitiosa iuris interpretatione) *etiam in re publica multa peccantur, ut ille* (scil. peccavit), *qui, cum triginta dierum essent cum hoste indutiae factae, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactae, non noctium indutiae*; aliisque locis haud ita raris.

Quoniam adhuc ea, quae non recte in hominum offensionem incurrebant, tractavi, nunc agam de iis, quae re vera correcturis egere videntur. Ac primum pro adiectivo, quod est in L, *leni* satis certa fide emendatio illa *levi* codicum π et ε in editiones recipitur. Dein Friderico acclamandum esse opinor, qui in Philologi vol. 44, 669 adiectivi quod est *varii* lituram commendaverit. Nam ab hoc loco alienissimum illud est. Et proprium translatumque *varietatis* sensum Cicero in De fin. l. II, 10 explicuit his verbis: *Varietas enim Latinum verbum est, idque proprie quidem in disparibus coloribus dicitur, sed transfertur in multa disparia: varium poëma, varia oratio, varii*

Digitized by Google

mores, varia fortuna, voluptas etiam varia dici solet, cum percipitur e multis dissimilibus rebus dissimiles efficientibus voluptates. Et cognoscitur vocis significatio multis e locis, ut ex Oratoris §§ 52, 59, 65, 197, sed optime ex eius § 111: *Demosthenes quidem . . . nihil Lysiae subtilitate cedit, nihil argutiis et acumine Hyperidi, nihil levitate Aeschini et splendore verborum: multae sunt eius totae orationes subtiles, ut contra Leptinem, multae totae graves, ut quaedam Philippicae, multae variae, ut contra Aeschinem falsae legationis.* Ergo illo adiectivo genus humile et grave dicendi genus mixta esse indicatur nec varium dici potest genus grande. Quo fit, ut lituram, quam proposuit Fridericus, acerrimi ille ingenii vir, necessariam iudicem idque eo magis, quod emblemate fugato plane eadem hic de gravi dicendi genere laudantur, quae in De div. l. I, 80: *Quid? vestra oratio in causis, quid? ipsa actio potest esse vehemens et gravis et copiosa, nisi est animus ipse commotior?*

Postremo quod Palatini prima manus transscripserat *idem* Heerdegenius ac Stanglius, quod P²OF *id est* ceteri editores in textum receperunt. At voce *faceti* illi *concinniores*, quos dicit, explicari non possunt neque per se iidem sunt *faceti* et *concinniores.* Immo eos inter se aperte distinguit Cicero in Bruti § 325: *Genera autem Asiaticae dictionis duo sunt: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis quam concinnis et venustis . . . Aliud autem genus est non tam sententiis frequentatum quam verbis volucre et incitatum, quale est nunc Asia tota, nec flumine solum orationis, sed etiam exornato et faceto genere verborum.* Verum etiamsi interdum cognata sit significatio vocum quae sunt: *concinnus* et *facetus*, tamen codicum scriptura *id est* comprobanda non est: primum quia, si reciperetur, comparativus *facetiores* desideraretur, dein quod Cicero hoc summi ponderis loco adiectivum aliquod posuisse vix potest putari, quod non statim per se intellegeretur. Necdum prorsus satisfacit illud Palatini *idem* huic loco, qui requirit potius *idemque.*

Est alius Oratoris locus simili ratione emendandus. In § 7 enim vel eodem modo *idemque* vel ⟨*quod*⟩ *idem* exspectamus, ut legamus: *Non enim quaero, quis* (scil. summus orator)

Digitized by Google

fuerit, sed quid sit illud, quo nihil possit esse praestantius, quod in perpetuitate dicendi non saepe atque haud scio an numquam, in aliqua autem parte eluceat aliquando, idemque (vel. ⟨*quod*⟩ *idem*, codd: *idem*) *apud alios densius, apud alios fortasse rarius.*

Sed ut ea, quae de hac Oratoris § 20 exposui, brevibus complectar verbis, totum hunc locum non nisi tali ratione sanum fore censeo, quali edatur sic: *Nam et grandiloqui . . . fuerunt . . . vehementes,* [*varii*], *copiosi, graves, ad permovendos et convertendos animos instructi et parati, quod ipsum alii aspera, tristi, horrida oratione neque perfecta atque conclusa, alii levi et structa et terminata; et contra tenues . . . in eodemque genere alii callidi, sed impoliti et consulto rudium similes et imperitorum, alii in eadem ieiunitate concinniores idemque faceti, florentes etiam et leviter ornati.*

Altera huius disputationis pars in Dissertationum Argentoratensium selectarum tomo XII edetur.

Digitized by Google

Vita.

Natus sum Petrus Reis, Iacobi filius, matre Theresia e gente Anderhub, Moguntiae, in oppido ad Rhenum flumen sito, a. d. VII. Id. Oct. anni MDCCCLXXXII; catholicae addictus sum fidei. Ac postquam litterarum didici primordia, gymnasii Moguntiaci discipulus sum receptus anno MDCCCXCIV. Inde septem annis post maturitatis testimonio dato dimissus, Argentoratum me contuli, cuius oppidi in academia essem philosophorum ordinis discipulus. Ibi docuerunt me Baeumker, Bartoli, Henning, Keil, Leitschuh, Martin, Michaelis, Neumann, Plasberg (nunc Rostochensis), Reitzenstein, Schwartz (nunc Gottingensis), Thraemer, Ziegler, viri clarissimi atque illustrissimi. Exercitationibus autem me admiserunt Henning et Martin germanicis, Keil et Neumann historicis, Thraemer numismaticis, Ziegler philosophicis. Proseminario philologico duos interfui annos; deinde ut seminarii philologici per ter sex menses sodalis essem ordinarius, per tertium semestre senior, Keil et Reitzenstein, viri doctissimi, summa benignitate permiserunt. Quorum utrique, sicut omnibus praeceptoribus meis, gratiam quam maximam habere numquam desinam.

Digitized by Google

M. DuMont-Schauberg, Straßburg.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google